

751
B956


UC-NRLF



4B 13 839

www.libtool.com.cn

YC 00353



CAUSA ORATIONIS ADVERSUS
UDIAM DEMOSTHENICAE (XLI)

LIBRARY
CALIFORNIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

RUDOLF BURGHARDT
LIPSIENSIS

1908

TYPIS JULII KLINKHARDT

www.libtool.com.cn

TO VIBU
ALPHABET

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOGOS DE H.
DISSERTATIONE

LIPSIUS

RICH. HEINZE

PROCANCELLAR
STIEDA

LIPSIAE D. IV. MAI A. MCMVIII.

Libros saepius commemorandos sic indicavimus:

- ² = Meier-Schoemann, Der attische Prozeß; ed. alt. auxit et correxit
Justus Hermann Lipsius, 1883—1887.
- Thalheim R.-A.⁴ = Hermann, Lehrbuch der griech. Rechtsaltertümer,
editio quarta correctior curante Theodoro Thalheim, 1895.
- Beauchet = Beauchet, Histoire du droit privé de la républ. Athén., volu-
mina IV, 1897.
- Pauly-Wiss. = Pauly-Wissowa, Realencyklopädie der klassischen Altertums-
wissenschaft.
- D.-Sagl. = Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiqu. Grecques et
Romaines.
-

www.libtool.com.cn

70 7100
A000000000

ratio Demosthenica, cui inscriptum est *πρὸς Σπυρδῖαν ὑπὲρ προικῶς* (XLI.), inter *λόγους δικανικοὺς ἰδιωτικοὺς*, qui dicitur, a Demosthene scriptos aut quidem in codicibus eius nomini lectos fere brevissimus, adhuc nemini digna visa est, quae pecuni commentatione tractaretur.¹⁾ Neque velim mireris, quod hoc mi proposui, quamquam qualia iudicia viri docti quidam iuristici civilis periti de oratione protulerint, non ignoro: „Die Rede, wie es der Gegenstand erfordert, sehr einfach“ (Becker l. s. 441) aut: „Die Sache ist einfach und ließ sich, wie es geschehen, in der Kürze behandeln.“ (Schaefer l. s. p. 228.)

Non satis enim, quid illi his verbis indicare voluerint, apere videtur: si censent res ita comparatas esse, ut iudices henienses, quae esset causa, facile intellegent et altera parte lita, quomodo sententia ferenda esset, non dubitarent, nemo est, n adsentiantur, sed quis inde colligat orationem hisce temporibus re nostra iuris Attici scientia explicandam difficultates non prae-e, praesertim cum quid adversarius responderit nesciamus! Non sunt difficultates atque omni ex parte stantes a Theodoro Thalm, qui nonnullis quaestionibus ad orationem pertinentibus tractatis lit: „Aber auch sonst enthält die kurze Rede einiges Auf-

¹⁾ breviter de orationis causa exposuerunt:

ianius in *hypoth. orationis* p. 1027.

Gerhard Becker: Demosthenes als Staatsmann und Redner, 1816, vol. II, p. 440.

nold Schaefer: Demosthenes und seine Zeit, vol. III B¹ 1858, p. 227.

dolphe Dareste: Les plaidoyers civils de Démosthène, vol. I, 1875, p. 152 sqq.

edrich Bläß: Die attische Beredsamkeit, III, 1^o, 1893, p. 249 sqq.

de singulis quaestionibus egerunt accuratius:

eodor Thalheim: Die Rechtsfähigkeit der Frauen. Progr. Schneidemühl 1892, p. 8.

il Szanto: Über die griech. Hypothek. Arch.-Epigr. Mitt. aus Österr.-Ung. XX (1897) p. 101 sqq. — Ausgew. Abhandlg. p. 121 sqq.

orationem non continet:

yard, Demosthenes, discours judiciaires. Traduction, arguments, notes. Paris 1905.

enim eas quae filiae hereditariae futurae erant, *ἐπικλήρους* id dicere solebant, cum pater viveret. Pollux III, 33; Suidas s. *ἐπικληρος*¹⁾; AP² 614. Neque tamen negari potest patri, quamvis viveret, omni tempore licuisse filiarum condiciones commutare, quod ex hac oratione plane apparet: Polyuctus enim cum Leocrate adoptavit, filiabus, quae antea fratre carebant, fratrem dedit. Unde sequitur eas iam non esse *ἐπικλήρους*, nam filius adoptatus, qui tenus ad hanc rem pertinet, nihil differt a filio legitimo. cf. e. Thalheim R.-A.⁴ 83 adn. 6; Hafter, Die Erbtochter nach att. Rec. 1887 p. 27.

Leocrati adoptato Polyuctus alteram filiam dedit, neque casus hoc factum est, sed quod lege sancitum est, ut patri, qui filium tantum habeat, non liceat filium adoptare, nisi ita, ut unam et filiabus ei det uxorem; qua lege filiam natu maiorem nullo modo praeferri, inde cognoscitur quod Leocrates ducit minorem, cum maiorem accipiat actor. Legis ipsius mentionem facit Is. III 6 ubi addit: *οὐκοῦν μετὰ τῶν θυγατέρων ἔστι δοῦναι καὶ διδοῦσθαι τὰ αὐτοῦ· ἀνεν δὲ τῶν θυγατέρων οὐχ οἷόν τε οὐδὲ ποιήσασθαι οὔτε δοῦναι οὔδενι οὔδδὲν τῶν ἑαυτοῦ*. Atque Lipsii (AP² 589 adn. 285) verborum interpretationem secuti non habemus cur censeamus voce *ποιήσασθαι* neminem significari nisi per testamentum adoptatum: et per testamentum et inter vivos adoptatos indicari arbitramur. Quibus cum verbis qui hunc locum orationis adversus Spudiam comparat — Leocrates inter vivos adoptatus sororem adoptivam duxit — nihil interesse putet, utrum filius per testamentum an inter vivos adoptatus sit neque probe quod exposuit Beauchet II, 56, qui contendat filium inter vivos adoptatum sororem in matrimonium ducere solitum esse, cum filius per testamentum adoptatus matrimonium inire legibus cogeretur.

Num filia
fratri adop-
tivo collo-
cata dotem
accipiat.

Sed utut haec se habent, Leocrates sororem duxit et hereditarius omnium Polyucti bonorum habendus est. Atque ista quaestio exoritur, quam solvi non posse, quantum video, eo magis dolendum est, quia locus orationis difficillimus (§ 27 *τὰ χρονία καὶ τὰ ἱμάτια . . ., ὧν ὁ Πολύευκτος προσαπέτεισε τῷ Λεωκράτι πλεῖν ἢ χιλίας*, quo de loco uberius agam p. 43) hac quaestio soluta novam lucem acciperet; dico: dotemne filia Polyucti, qui nupsit fratri adoptivo, acceperit, an non. Sed neque haec oratio idonea est, quae respondeat, neque alii fontes praesto sunt. Neque enim dubium est, quin de his rebus erraverit Hieronymus W.

¹⁾ eodem loco: *καλοῦνται δὲ ἐπικληροὶ, καὶν δύο ᾧσι, καὶν πλείους*, ubi bae igitur filiae Polyucti *ἐπικληροὶ* sunt; cf. Andoc. I, 117; Is. VIII, 4

(Dindorf Dem. ed. Oxon. vol. VII p. 1179): „si legimus *προς-απειμήσε*, (§ 27 v. l. *πρὸς ἀπέτεισε*) sensus erit Polyenctum ornamenta filiae ab se data 1000 drachmis aestimasse, ut dos (sc. uxori Leocratis data, quod apparet e contextu) 40 minarum completeretur.“

Atque in eodem errore versatur Beauchet I 290: „ainsi dans a dot, que fournit Polyecte en mariant sa fille à Léocrate, et qui comprend une valeur de quarante mines, les bijoux et habits de la femme sont comptés pour mille drachmes.“ Nam ponamus Leocrati dotem esse constitutam, 40 minas eum accepisse certe rescimus; timeo ne confuderint viri docti dotem Leocratis cum dote Spudiae, quae revera — si fidem tribuimus actori — ornamentis lecem minarum additis explet 40 minas.

Alii contraria de Leocratis dote iudicasse videntur; hac enim ratione nisi hunc fere in modum sententiam protulerunt: „Wer zur Tochter hatte, pflegte sich einen Sohn zu adoptieren und dem Adoptierten eine seiner Töchter zur Ehe zu geben, die dann ihrem Manne das Haupterbe zubrachte, während die Schwestern mit Mitgiften abgefunden wurden“ Schoemann-Lipsius, Griech. Altert. I⁴ 1897 p. 376, aut „waren mehrere Töchter da (sc. und keine Söhne), so wurde in der Regel der Adoptivsohn mit einer der Töchter verlobt, die übrigen mit Mitgiften abgefunden“ Thalheim apud Pauly-Wiss. s. v. Adoption. Similiter idem l. s. voce *ἐπιμήρης* et R.-A.⁴ 72 adn. 4. Beauchet I 273: „les biens héréditaires composaient alors en quelque sorte la dot de celle-ci.“ Sed viri docti¹⁾, cum haec scriberent, quaestionem ipsam, de qua loquimur, non respexisse videntur, neque igitur ex eorum verbis quicquam efficiamus. Dicat quispiam per testamentum adoptatum vel potius eius uxorem dotem non accipere, cum statim ad eum veniant bona patris adoptivi, Leocratem autem dotem accepisse, ut eius fructus perciperet, donec Polyenctus viveret. (cf. quae exponemus de *ἐπιμήρη* dote p. 12.) Quod non probamus, nam nonendum est Leocratem iam Polyencto vivo fructus bonorum patris adoptivi accepisse; cf. p. 55. In medio igitur relinquendum est²⁾, utrum Polyenctus filiae fratri adoptivo collocatae dotem dederit, necne; nos hoc probemus.

¹⁾ velim conferas quoque van den Es: De iure fam. apud Athen. 1864 . 85; Caillemier: droit de tester, Annuaire de l'assoc. pour l'encour. des t. Gr. IV (1870) p. 33; Boissonade: histoire de la réserve héréd. 1873, p. 55; Garrilleau: bull. de corr. hell. VI (1892) p. 604, Lécrivain apud Dar.-Sagl. II 662.

²⁾ ex verbis § 4 *τῶν τε πρὸς ἀλλήλους ἐγκλημάτων ἀπηλλάχθαι πάντων* de dote, nihil cognoscitur; Thalheim in progr. 1894 p. 10 nullo iure 28 adfert.

Iam redeundum est, unde digressi sumus: quomodo res se habuerint, cum Polyeuctus Leocratem adoptasset, perscrutati sumus sed non multo post, ut videtur, Polyeuctus omnia commutavit, quod Demosthenes brevius indicat, quam ut quae res fuerint, fac cognoscamus: § 4 διαφορὰς γενομένης τῷ Πολυεὐκτῷ πρὸς τὴν Λεωκράτην, περὶ ἧς οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν, ἀφελόμενος ὁ Πλυεὐκτος τὴν θυγατέρα δίδωσι Σπυδία τῷ πατρί.

Inde ex hoc loco proficiscentes recentiore memoria nonnulli viri docti arbitrati patri quocunque tempore licere filiam elocata marito eripere collegerunt κύριον feminae collocatae non esse matrem, sed patrem aut eum, in cuius manu sit patre mortuo. Quod de quaestione infra uno tenore explicandum erit ne nunc longius aberremus¹⁾, sed hoc iam apertum est: Leocrates sororem adoptivam vera duxit in matrimonium, quod confirmatur cum verbis δίδωμι et ἀφελόμενος tum § 27 ὁ μὲν γὰρ Σπυδίας παρὰ τοῦ Λεωκράτους ἔχουσαν τὰ χρυσία καὶ τὰ ἱμάτια τὴν γυναῖκα ἔλαβε quibus verbis actor uti non posset, si Polyeuctus filiam Leocrati destinasset, hic eam nondum duxisset. Lipsius A. P.² 508 adn. 78 Hruza, Beitr. zur Geschichte des griech. und röm. Familienrechts 1892, p. 70 adn. 48; aliter Meier A. P.¹ 411 adn. 98 „Ich bemerke hier, daß . . . dies so zu verstehen sei, daß noch keine Verheirathung, sondern nur eine Verlobung erfolgt war.“

Divortio igitur facto Polyeuctus filiam Spudiae dedit. Quibus rebus factis (μετὰ δὲ ταῦτα) Leocrates ira inflammatus Polyeucti Spudiaeque lites intendit; per arbitros autem privatos ita transiit, ut Leocrates recuperaret, ἅπερ ἦν εἰς τὴν οὐσίαν εἰσηνεγμένος. Quibus de rebus Spudias actiones instituerunt quidque arbitrio impetraverit, satis difficile est intellectu; quid, quod de hac re scripserunt, censerint et quomodo ego res explicare studeam, infra invenies.²⁾

Sequitur, ut quaeramus, quemadmodum rerum condiciones commutatae sint, postquam Polyeuctus adoptione et matrimonio Leocrati solutis filiam Spudiae collocavit. Ac primum quidem hoc statuimus: inde ex hoc tempore inter ambos Polyeucti generos nullum est discrimen; antea actor gener erat et dotem acceperat, Leocrates, ut filius adoptivus, non solum gener, sed etiam heres futurus omnium Polyeucti bonorum erat. Adoptione autem illa solutis Spudias filiam duxit, dotem accepit, sed adoptatus non est. Nam si solus adoptatus esset, hereditas ad eum perveniret neque contrariae esse possent de ea dividenda. Itaque aut uterque adoptatus

¹⁾ cf. p. 46.

²⁾ cf. p. 54.

tus est aut neuter, nam ambo plane eisdem condicionibus utuntur. Utrumque autem esse adoptatum veri speciem non habet, nam et exemplo careret (Schoemann Is. ed. 1831 p. 175), et a Demosthene ita pronuntiatum esset, ut dubitare non possemus. Nimis caute igitur mihi iudicasse videtur Beauchet III 708: „Il est possible d'ailleurs, que le testament de Polyucte n'ait point contenu d'adoption, car Démosthène n'y fait aucune allusion.“

Sed Polyucti interesse debebat filias, si mortuus esset, apud eos remanere, quibus ipse in matrimonium dederat; hoc si volebat, per testamentum constituere debebat, nam Leocratis adoptione soluta lenuo habebat *ἐπικλήρους*: omne autem matrimonium cum *ἐπικλήρω* factum, etiamsi pater ipse auctor fuerat, eius voluntate solvi potest, qui ut proximus cognatus patre mortuo *ἐπικλήρον* ducere studet— nisi testamentum obstat. Is. III, 64; AP² 615; R.-A⁴ 66 adn. 2; Schmidt, Ethik der alten Griechen II (1882) p. 163. Neque vero Spudias neque actor quantum videmus cognati filiarum, nedum proximi erant; unde colligendum est Polyuctum testamento quod scriptum esse e multis orationis locis apparet Spudiam et actorem nescio quo modo generos sibi instituisse.

Utrum filiae Polyucti sint *ἐπικλήροι* an generi eius heredes.

Sed quid de bonis suis fieri voluit? Cum generos non adopasset, duobus modis de re familiari statuere potuit. Nam pater, qui filias tantum habet, si filium sibi adoptat, adoptato et filiam et bona tradere debet; si non adoptat, ne filia a proximo cognato petatur, ita impedire potest, ut genero electo aut filiam solam aut filiam et bona per testamentum scribat. Quomodo hae viae differunt? ¹⁾ Gener, cui filia sola scripta est, *ἐπικλήρον* in matrimonium ducit neque quicquam pater agit nisi ut virum quendam, qui ut filiam iam habet aut ex patris testamento habebit, praeferat proximo cognato, a quo *ἐπικλήρος* patre mortuo peti posset. Qui igitur per testamentum gener institutus est ita, ut ei bona patris non scribantur, is maritus *ἐπικλήρον* est: res familiaris ad eum non transit, sed nihil habet, nisi usum fructum; filius ex hoc matrimonio natus pro avi herede habendus est.

Sed si cui pater non solum filiam, sed etiam bona scripsit, res sane aliae sunt: filia *ἐπικλήρος* non est, sed maritus patris heres, si in bonorum possessionem venit; *ἐπιδικασίᾳ* (aut *διαδικασίᾳ*) constituenda non filia, sed hereditas adiudicatur; filius si qui nascitur patris, non avi heres est. ²⁾

¹⁾ grammatici de hac re nihil proferunt, quod omnino nesciunt fieri posse, ut aliquis heredem bonorum sibi scribat neque adoptet; cf. p. 8 eius comment.

²⁾ bona sola sine filia scribi non possunt, cf. p. 4.

Neque supervacaneum est monere hoc loco non agi de testamentis, quibus filius adoptatur, sed de eis quae is pater facere potest, qui filium non adoptat, nam haec non satis disiunxit Beauchet. cum exitu capitis, cui inscripsit „Effets de l'adoption“, explicaret II p. 71: L'adoption produit des effets particuliers au point de vue de la transmission du patrimoine, lorsqu'elle a lieu dans l'hypothèse spéciale où le défunt laisse une ou plusieurs filles légitimes. Il faut distinguer, à cet égard, suivant que le père a légué en même temps à l'héritier institué sa fille et ses biens, ou qu'il n'a légué que sa fille.“ Quibus in verbis error inest, nam de adoptione cogitare non licet, si quis per testamentum tradit filiam solam, non bona; quod Beauchet ipse non ignorat, nam alio loco (II, 60) recte contendit filio adoptivo si minus omnia bona, attamen certam partem (e. g. $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{8}$) deferenda esse neque quemquam ita adoptari posse, ut hoc vel illud de hereditate patris adoptivi accipiat (qua in re secutus est AP² 547). Hoc autem loco, quem tractamus, censet aliquem ita adoptari, ut filiam solam, de bonis nihil accipiat. Quos suae sententiae laudat auctores, multo rectius iudicaverunt. neque enim apud eos quicquam invenies de adoptione: Boissonade p. 54, Hruza p. 122. Quae cum ita sint, adoptare nemini licuisse arbitramur nisi ita, ut et bona et filiam adoptato scriberet. Velim igitur pro recto habeas, quod supra adoptione neglecta distinximus pater, qui filias, non filios habet, si filium adoptare non vult, alium per testamentum aut filiam aut filiam et bona scribere potest.

De illo testamento non habeo, quod addam, nam omnia quae de *ἐπικλήρω* docentur, valent, nisi quod genere proximo praeferuntur, qui per testamentum gener institutus est. Sed de hoc testamento quo traduntur bona et filia, breviter disserendum est.

Quaerendum est, num patri, qui filias tantum habet, liceat heredem sibi scribere sine adoptione, aut ut ad nostram orationem spectemus: num Polyucto licuerit generos sibi heredes institueret sed non adoptare.

Graecos testari non potuisse nisi heredem una adoptarent omnes fere, qui de hac re egerunt, docuerunt (quos enumeravit Beauchet III, 692 adn. 4), donec dubitare coepit Bruns, Zeitschrift der Savigny-Stiftung; rom. Abt. I (1880) p. 6.

Cuius commentatione commotus uberius in rem inquisivit Schellin, Das griech. Testament vergl. mit dem röm. (1882) p. 29 sqq. qui quamquam de nonnullis rebus erravit (Lipsius AP² 590 adn. 287), tamen demonstravit Athenienses, cum antiquioribus temporibus testamenta sine adoptione non nossent, paulatim assuevisse heredes non adoptatum sibi institueret, non ita ut ei quaedam legarent — quo semper licuerat — sed ut omnium bonorum heredem eum instituerent

Cuius usus exempla a viro d. Schulin adlata Lipsius denuo tractavit et quae sint certa quae incertiora perpendit; nuper diligenter de eisdem rebus egit Beauchet III, 691 sqq.¹⁾

Omnia, quae illi explicaverunt, repetere meum non est, sed persuaserunt mihi etiam Demosthenis temporibus licuisse non solum legare pecuniam aut res quasdam non adoptato, sed etiam aliquem heredem ex asse instituere sine adoptione.

Neque vituperandus videar, quod his in rebus longus fui, nam magni sunt momenti, cum iudicium proferendum est de Polyeucti testamento.

Quaestio enim oboritur, utrum Polyeuctus testamento Spudiae et actori filias tantum tradiderit ita, ut illae *ἐπίκληροι* sint, an generis filias et bona ita scripserit, ut ambos sine adoptione instituerit heredes, qui domini essent bonorum neque *ἐπίκληρους* in matrimonio haberent. Atque qui huius orationis argumentum enarraverunt, quantum quidem ad hanc quaestionem accesserunt, filias esse hereditarias opinati sunt.

Velut Libanius in orationis *ὑποθέσει*: „ὁ μὲν οὖν Πολύευκτος ἐτελεύτησεν ταῖς θυγατράσι καταλιπὼν τὸν κλῆρον ἔξ ἴσου.“ Cuius sententiam secutus est Schaefer l. s. III B p. 227: „Die Hinterlassenschaft sollte zu gleichen Teilen an die Töchter kommen“. Idemque ex Schulini verbis efficitur: „Testamente ohne Erbeinsetzung errichteten nicht nur diejenigen, welche keine Testamente mit Erbeinsetzung errichten konnten, sondern auch andere, welche die Intestaterbfolge nicht ausschließen, aber gewisse Verfügungen für den Todesfall treffen wollten. Hierher gehört allem Anscheine nach das von Demosthenes in der Rede gegen Spudias erwähnte Testament des Polyeuktos“, p. 29. Tam singularia autem de his rebus protulit Dareste plaid. civ. I 152, ut facere non possim, quin eius quoque verba exscribam: „L'action que l'orateur intente est l'action de dot. Les filles à Athènes n'étaient pas, à proprement parler, héritières. Elles recevaient des dots, et par ce moyen elles n'avaient rien à prétendre sur la succession de leurs parents. Dans le cas même où il n'y avait pas de fils, elles ne recueillaient les biens que pour les transmettre à leurs propres fils, qui seuls pouvaient être héritiers et perpétuer la maison de leur aïeul. C'est ce qui explique comment l'action intentée par l'orateur contre Spoudias est l'action de dot et non simplement l'action en partage de succession.“ Censet igitur Dareste filias collocatas epicleras esse quarum

¹⁾ conferas quoque Mitteis: Reichsrecht und Volksrecht 1891 p. 341. Quod has res omisit Thalheim apud P.-Wiss. s. v. Adoption, ei opprobrio dat Schulthess in Bursian. Jahresber. vol. 81 (1894) p. 174.

utraque dimidium bonorum patris habeat. Quod vero bona epiclerae non plane in eius possessionem veniant, sed eisdem legibus utantur, quibus dotes, propterea hac in oratione omnia bona pro bonis dotalibus habenda esse: itaque *δίτην προικός* esse intentam. Quae sententia argute excogitata, sed impugnanda mihi videtur. Nam primum epiclerae bona dotis nomine appellari non possunt, quia similibus condicionibus utuntur, non eisdem (cf. p. 11); deinde hac in oratione bona quaedam a ceteris seiungenda dotes vocantur, quorum causa in primis lis intenta est et orationi inscriptum *ὅτι ἐπὶ προικός*; denique caveamus, ne ex ipsa orationis inscriptione quicquam efficere posse putemus de genere actionis institutae: *δίτην προικός* enim ab actore certe intentam non esse infra plane apparebit; cf. p. 44. Hac igitur via non cognoscitur, utrum filiae sint *ἐπίκληροι* a generi Polyucti heredes. Sed aliante in oratione inveniuntur, quibus nisi hanc quaestionem solvamus? Fingamus agi de epicleris rebus accuratius deliberatis lis non est inter Spudiam et actorem, sed inter eorum uxores.

Quod vero mulier ipsa ad indices venire non potest, sed eius res a *κυρίῳ* (mulieris collocatae a marito) in iudicio suscipienda est,¹⁾ nihil ad hanc quaestionem diiudicandam inde accipimus, quod mariti semper ipsi sibi causam agere videntur, nam fieri tamen potest, ut uxores sint *ἐπίκληροι*; cf. e. g. § 1: *ἀναγκάζομαι πρὸ τοῦτον διαῶσθαι*.

Neque dubito, quin alia argumenta huius modi nihil valeant, sed fortasse ex eis rebus, propter quas causa agitur, argumentum ducere possumus.

Utraque enim filia Polyucti a patre dotem accepit, quare nemo dubitet, nam de hisce dotibus imprimis lis intenta est. Nonne inde colligendum est, Polyucti filias non esse epicleras, cum constare videatur epicleras dotes non accipere?

Sed hoc mihi copiosius est demonstrandum. Bona, quae accipiunt epiclerae, bonis dotalibus satis esse similia supra commemoravimus: ut dotes, ita haec bona in possessione mulieris sunt, cum maritus habeat usum fructum. Una autem in re inter se differunt si filius ex matrimonio *ἐπίκληρον* natus adolevit, bona matris accipit, dos apud matrem remanet, quamdiu maritus inter vivos est AP.² 615 et 520; Beauchet I, 260. Unde nemo colligat epicleram non solum bona patris accepisse, sed etiam dotem, ne bonis filii traditis ipsa opibus plane careret; nam filii est bonis acceptis matris

¹⁾ apud indices mulier res agit *διὰ κυρίου*. cf. Beauchet II, 37. Leopold Wenger: Die Stellvertretung im Rechte der Papyri (1906) p. 1 text. et adn. 2; infra p. 37.

victum praebere, quod eius non esset, si mater dotem accepisset; quae ad filium matris marito vivo non veniret. Victus ei praebetur, ne ipsa neve eius maritus ullo tempore deteriore condicione utantur, quam aliae mulieres collocatae dotibus exornatae, quae epiclerae non sunt, aut earum mariti, qui dotibus fruuntur.

Neque huic sententiae fontes repugnant: multi docent dotes constitui, nullus epiclerae,¹⁾ si quidem in adnotatione recte iudica-

¹⁾ Titulus Myconi inventus (Dittenberger Sylloge Inscr. Graec. II^o 1900] n. 817) complures exhibet dotes datas a civibus Myconiis et publice consignatas, ut lite exorta de dote reddenda, quanta fuisset, constaret. Quo usu publicandi omisso omnia quadrant ad res Athenienses neque dubium est, quin quod hoc loco discamus, adhibere possimus ad illas iudicandas. Neque igitur mireris, quod inter eos, qui dotem constituunt eos velim inspicias quoque versus, quos vehementer deletos non recepit Dittenberger, sed typis exscripsit Barrilleau bull. de corr. hell. VI [1882] p. 592), novies invenis patrem, semel fratrem (lin. 23 Dittenb.). Semel utem, quis dotem dederit, non plane patet. Atque hoc ipsum exemplum nobis magni est momenti, cum nonnulli viri docti locum ita interpretentur, ut cuidam ἐπικλήρω a genere proximo dotem constitui opinentur; Dareste-Haussoillier-Reinach Recueil des inscript. jur. gr. I 1891 p. 56, Dittenberger l. s. Legimus lin. 25 sqq.: Θαρσαγόρας Μνη: ἐνγγύησε Πανθαλίδα ἢν θυγατέρα τὴν Μηραιβούλου Πυρράκωι: Θαρ: γυναίκα, καὶ προίκα τὴν ἰκίαν τὴν ἐμ προαστίωι κτλ. Nomina supplenda esse Μνη(σιβούλου) et Πανθαλίδα(ς) veri est simillimum. Neque vero dubium videtur, quin hic Mnesibulus non idem sit, qui paullo post Panthalidis pater appellatur contra Ottonem Lueders, Hermae vol. VIII 1874 p. 196), nam si idem esset, Tharsagoras esset frater Panthalidis atque aliter, ac scriptum est, geremus Θαρσαγόρας: Μνη: ἐνγγύησε Πανθαλίδα τὴν ἀδελφὴν ut vers. 23. Magna igitur cum ingenii acie Francogalli, quomodo homines finitate coniuncti fuerint, statuunt (cf. Schulthess Wochenschr. f. kl. Ph. K 1892 p. 767 „Sehr hübsch und einleuchtend ist der Fall des Tharsagoras illustriert“); Mnesibuli I filius est Tharsagoras, huius filius Mnesibulus II, cuius filia Panthalis, ita ut patre virginis mortuo avus paternus iam Pyrrhaco patruo (fratri Mnesibuli II) in matrimonium det eique dotem instituat. Sed audiamus, quae ex his rebus satis probabilibus Francogalli colligant: „Panthalis est une épicière et Tharsagoras son plus proche parent la marie et la dote comme il en a l'obligation.“ Unde autem verint, genere proximi esse epiclerae dotem dare, ipsi significant: Is. I 39; de autem loco non de epicleris in universum cogitandum est, sed qui actionem habet, fingit filias Cleonymi esse pauperes epicleras (εἰ . . . λεώνυμος ἐτελεύτησε θυγατέρας ἀπορονύμενας καταλήδων); ad pauperes igitur epicleras pertinent verba insequentia: ἡναγκαζόμεθα τὰς θυγατέρας λαβεῖν ἢ προίκα ἐπιδιδόντες ἑτέροις ἐκδιδόναι. Eas autem epicleras, ac patrimonium non habent, aut ducendas aut dote exornandas esse a genere proximo nemo negat (cf. Hruza p. 114, Beauchet I 479), sed aliae res extant de ceteris epicleris: neque ducere eas debet proximus — nam o iure decedere potest; cf. e. g. Beauchet I 435, Hitzig Zeitschrift der v. Stift. XVIII 1897 p. 157 — neque dotem eis dare. Quam ob rem Tharsagoram Panthalidi dotem constituere putemus? Non quod epiclerae proximus sit, sed quod avus paternus Panthalidis est, quae avo vivo in

vimus de titulo Myconio, qui primo obtutu obloqui videtur. Itaque viri docti hunc fere in modum de dote *ἐπικλήρον*: „die Erbtöchter brachte keine *προίξ* mit, wie es sonst in Attika üblich war“, Hruza, p. 97 adn. 15; „in epiclera ipsum patrimonium dotis locum excipiebat“, van den Es p. 47; similiter Barrilleau l. s. p. 603; Caillemier in Dar-Sagl. v. dos p. 388; Beauchet I 260.¹⁾

Quae cum ita sint, statuamus epicleras re vera dotem non accipere: Polyucti filiae dotibus exornatae sunt, ergo non sunt epiclerae. Sed cum Polyuctus generos non adoptaverit, restat ut eos sine adoptione heredes sibi scripserit. — Ne hoc pro certo affirmemus et exemplis a Lipsio laudatis AP² 590 adn. 287 novum firmum addamus, his argumentis impedimur: Quod adhuc exposuimus de *ἐπικλήρον* dote, recto talo nititur, si patre mortuo *ἐπίκληρος* ei addicitur, qui optima iura habet. Sed si pater qui filiam se ipso mortuo *ἐπίκληρον* futuram esse non ignorat, ipse eam ita collocat, ut post ipsius mortem apud maritum maneat, cur non filiae det dotem, ut vivus mariti redditus dotis usu fructu augeat? Nam filia patre vivo nihil possidet. Quae res quadrant ad hanc orationem, nam Polyuctus vivus generos sibi delegit.

Quo accedit, quod in hac oratione res satis implicatae sunt: filia enim maior natu actori collocata dotem acceperat iam tum, cum filia minor uxor erat Leocratis fratris adoptivi. Adoptione autem illa soluta Polyuctus filiam dedit Spudiae et inde ex hoc tempore utramque partem plane eisdem condicionibus uti voluit. Nihil igitur veri est similis, quam eum vivum Spudiae quoque uxori eandem fere dotem dedisse et bonorum, quae restabant, utrique parti dimidium scripsisse. Inde quod filiabus dotes dedit, non potest colligi id eum egisse, ne filiae fierent *ἐπίκληροι*. Ut res se habebant, ne dissensiones exsisterent, alteri filiae dotem dare poterat, quia altera dotem iam habebat, quamquam filias ut epicleras omnia bona accepturas esse volebat. Si quis hoc probat, licet ei

epicleris omnino numeranda non est (cf. p. 3 adn. 1). Avi paterni autem est neptem, quae fratres non habet, patre mortuo in matrimonium dare. cf. [Dem.] XLVI 18: ἦν ἂν ἐγγνήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς δημοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρός, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. [Dem.] XLIV 49; (Hyper. c. Athenog. col. VII 20 eadem lex, sed τοῦ πάππου mentio non fit). Qui vero mulierem per ἐγγνήσιν in matrimonium dant, eidem ei dotem dare solent, quam ob rem non miramur quod Tharsagoras nepti dotem constituit. Praebet igitur hic titulus exemplum avi neptem despondentis, quod deesse censet Hruza p. 59.

¹⁾ Dobree Adversar. ed. Wagner vol. III 1874 p. 28 „si quis puellam *ἐπίκληρον* ducturus loco eius dotis (domus, agri etc.) pecuniae summam accipit, ἀποτιμᾶται“, ubi utrum patrimonium dotis nomine significaverit, an de dote peculiari cogitaverit, non patet. Mirabilia autem de vi vocis ἀποτιμᾶσθαι.

putare Polyuctum per testamentum generis filias tantum tradidisse, non bona; ita ut — dotibus exceptis — de epiclerarum bonis lis exorta sit. Sed quantum video nihil obstat, quo minus alteram sententiam pro vera habeamus: ~~generos esse~~ Polyucti heredes.

Sed sive hoc sive illud acceperimus: *ἐπιδικασίᾳ* quam vo-
cant patre mortuo hereditatem addictam esse, priusquam haec actio
intenta est, mihi persuasi; atque si filias esse *ἐπικλήρους* putamus,
ἐπιδικασίᾳ ἐπικλήρου, si generos esse heredes censemus, *ἐπιδι-*
κασίᾳ κλήρου. Nam qui, nisi filius legitimus aut filius inter vivos
adoptatus est, hereditatem nancisci studet, ei ab archonte addicenda
est, AP² p. 605; neque aliter filia hereditaria adiudicanda est, l. s.
p. 616. Si complures inter se certant ita, ut alter meliora se
iura habere quam alterum contendat, *διαδικασία* exoritur. Quae
referamus ad hanc orationem: Litigant inter se Spudias et actor,
quomodo Polyucti bona dividenda sint, sed inter se consentiunt
neminem hereditatem (aut filias) sibi vindicare posse, nisi se ipsos.
Cum nunc ad iudices veniant, mihi non dubium videtur, quin antea
iam eis per *ἐπιδικασίαν* hereditas (filiae) addicta sit, nam si non
ita esset, fieri posset, ut iudices de bonis dividendis sententiam fer-
rent, cum alii ac qui bona dividere vellent meliora haberent iura
atque *διαδικασίᾳ* instituta irritum redderent, quod iudices discep-
taverant.¹⁾

De *ἐπιδικα-*
σίᾳ insti-
tuta.

Itaque hereditas addicta est, priusquam de ea dividenda actio
instituitur. Unde cognoscitur in *ἐπιδικασίᾳ* ipsa tantum agi de
hereditate adiudicanda, non dividenda, si compluribus eodem iuris
titulo nixis addicatur. Quod eo veri est similis, quia ne in *δια-*
δικασίᾳ quidem de titulis personarum diiudicatur, sed partium;
AP² 611; *διαδικασίᾳ* finita ei qui hereditatem acceperunt, denuo
litigare debent, si de bonis dividendis inter se dissentiant. cf. Bun-
sen de iure hered. Athen. (1813) p. 84, „acquisita rite hereditate, si
plures essent heredes, partitio instituebatur.“ Quod vere in ora-
tione nostra legimus hereditatis bona esse conferenda ab actore aut
a Spudia (§§ 10, 11, 20) neque iam conlata esse, nos non impedit,
quo minus censemus hereditatem iam addictam esse, nam cum
generi eam peterent, archontis non erat, disquirere quae essent in
Polyucti bonis numeranda, sed statuere neminem eius hereditatem
petere nisi generos illos; de dissensionibus enim, quae inter eos

¹⁾ etiam bona (filiae) adiudicata ab altero peti possunt, sed *διαδικα-*
σία, quae exoritur, satis ab illa differt: imprimis is, qui bona petit ad-
iudicata, multo deteriore conditione utitur quam is, qui bona nondum
addicta petit. cf. AP² 612 sqq. — Quae porro exponuntur de *κλήρῳ*, simi-
liter pertinent ad *ἐπικλήρου*.

forte exorerentur de hereditate dividenda aut eius finibus, alio die alios iudicium laturos esse non ignorabat. Sed cur *ἐπιδικασίας* mentio non fit? Non quod instituta non sit, sed quod actor non habet, cur eam commemorat, praesertim cum nullo nisi generis bona Polyucti petentibus res facile expeditae esse videantur. Neque putem generos petitione ad archontem omnino non delata bona contra leges occupasse, quamquam hoc modo *ἐπιδικασίαν* iniuria institutam non esse compluribus locis traditum est. cf. Rueger Prolog. in [Dem.] adv. Olymp. 1885 p. 14 adn. 4; Thalheim apud P.-Wiss. s. v. *ἐπίδικος*.

De arbitris
privatis.

Postquam autem Spudiae et actori, si recte indicavimus, hereditas addicta est, inter eos rixae exortae sunt de bonis dividendis. Constat vero Atheniensium morem fuisse, ut partes litigantes non statim ad iudices adirent, sed operam darent, ut rem diiudicandam deferrent amicis, qui utriusque partis res novissent, cf. § 14; Hubert de arbitris Atticis 1885 p. 8. Itaque actor magno opere studuit, ut per amicos dissensiones componerentur, sed Spudias amicos disceptatores recusat, id quod actor saepius ei crimini dat (§§ 1, 14, 29).

Hoc memoria retineas, cum iam iudicium proferendum sit de nonnullis locis, quibus actor disceptatorum mentionem facit; atque in censum veniunt verba § 14 et § 15, ubi haec:

§ 14: *ἔπειτα θανμάζω, τί δήποτ' . . . βουλομένων ἡμᾶς τῶν φίλων διαλύειν καὶ πολλῶν λόγων γενομένων, οὐχ οἷός τ' ἦν ἐμμένειν, οἷς ἐκεῖνοι γνοῖεν.*

§ 15: *μὴ γὰρ οἷεσθ' ὥ δ. δ. τοὺς εἰδότας ἅπαντα ταῦτα νυνὶ μὲν ὑποκινδύνους αὐτοὺς καθιστάνας ἐμοὶ μαρτυρεῖν, τότε δ' (ἂν addidit Blaß ed. Teubner.⁴) ὁμόσαντας ἄλλο τι γινῶναι περὶ αὐτῶν.*

Erravisse puto qui censeant ex his locis colligendum esse amicos arbitrium dedisse, nam obstant, quae modo exposui; immo loquitur actor de eis, quae amici iudicavissent, si re vera arbitrium dedissent; sed non dederunt. Quod cum constare videatur, verba *ἐμμένειν οἷς ἐκεῖνοι γνοῖεν* non significant: quae disceptaverunt, sed: quae disceptaturi erant (subandias: si arbitrium dedissent); recte vertit Dareste pl. civ. I p. 158 ce qu'ils décideraient. Neque aliter verba § 15 *τότε δ' ἂν* . . . *ἄλλο τι γινῶναι*: amici si arbitrium dedissent, aequè contra Spudiam iudicassent, ac nunc contra eum testimonium reddunt; vocula *ἂν* a Friderico Blaß addita mihi utique recipienda videtur esse.

Sed quaestio oritur, utrum amici a partibus arbitri electi **ne-** scio qua de causa arbitrium non dederint, an omnino non electi **sint**. Faciamus partes quasdam amicos creare, qui controversias **compo-**

nant: aut *διαλλακτᾶς* eligere possunt aut *δαιτητᾶς*. Ab illorum arbitrio partes ad iudices adire possunt, cum horum arbitrium ita sit immutabile, ut partibus ad iudices provocare non liceat; cf. quae nuperrime exposuit Lipsius, *Das attische Recht und Rechtsverfahren* I 1905 p. 222.¹⁾ Utraque autem pars arbitros arbitrio non dato dimittere potest; Lipsius l. s. 225. Quae cum ita sint, non licet putare Spudiam et actorem ab arbitris iuratis arbitrium accepisse, nam apud iudices res agunt; praeterea actor non haberet, cur Spudiam obiurgaret; de arbitris iuratis autem agi, non de *διαλλακτᾶς* docet vox *δμόσαντας* § 15. Itaque Spudias aut illos re non diiudicata dimisit aut inde ab initio eos disceptatores recusavit, quamquam ipsi operam dederunt ut partes reconciliarent et multa verba de his rebus facta sunt. Ego hoc probaverim et verba § 15 ita explicaverim, ut *δμόσαντας* quoque habeat sensum irreallem: amici si iuravissent et arbitrium dedissent. Quibus verbis non indicatur amicos iusiurandum dedisse,²⁾ ita ut essent proprii arbitri, sed: amici, si Spudias actori obsecutus esset, *δαιτητᾶι* electi arbitrium dedissent. Revera neque iuraverunt neque iudicaverunt.

Quibus expositis missum facere licet quod Schulze Proleg. in [Dem.] adv. Apatur. 1878 p. 25 adn. 4 adnotavit ad verba *ἐμμένειν, οἷς ἐκείνοι γνοῖεν*: „ex postremis verbis apparet non agi de diaetetis privatis: nam eorum sententia rata et immutabilis est.“

De arbitro
publico.

Ab amicis igitur dissensiones componi Spudias noluit, sed ne ita quidem statim ad iudices adire poterat, nam omnes causas privatas — *δικαῖς ἐμμήνοις* exceptis — apud arbitrum publicum agi

¹⁾ *διαλλακτᾶι* omnibus sollemnitatibus omissis a partibus creantur, ut quid sentiant pronuntient, cum *δαιτητᾶι* iusiurandum dent. Contra hanc sententiam Thalheim Hermae vol. XLI 1906 p. 156: „Der von Lipsius gemachte Unterschied ist zwar tatsächlich vorhanden, aber wahrscheinlich weder gesetzlich begründet, noch von rechtlichen Folgen begleitet.“

²⁾ codices duas praebent lectiones: *δμολογήσαντας*. Σ et γρ. Marc.; *δμόσαντας* ceteri. Plerique probant *δμόσαντας*: Baiter-Sauppe, Dindorf, Blaß in edd., Lipsius l. s. 223 adn. 10 — *δμολογήσαντας* autem Hubert l. s. 16 adn. 3 „cur cod. Σ *δμολογ.* in *δμοσ.* mutemus satis iusta causa non esse videtur.“ Sed quem sensum verbo *δμολογεῖν* attribuat, non dicit. *δμόσαντας* sine dubio suum habet locum, nam hic est rerum contextus: Spudias amicorum arbitrium recipere noluit, cum quale futurum esset, non ignoreret. Sed cum re vera amici sententiam non dixerint, actor hisce verbis iudicibus persuadere studet eos sine dubio contra Spudiam iudicatu-
turos fuisse: nunc apud iudices iureiurando obstricti pro actore testimonium dicunt; qui fieri potuisset ut tunc, si arbitri facti essent, aliter de eisdem rebus decreturi fuerint, praesertim si tunc quoque (quod actor volebat) iusiurandum dedissent? Quin consulto actor et in hoc et in illo membro enuntiati mentionem faciat iurisiurandi, dubium non est; cui sententiarum conexui non satisfaciunt, qui recipiunt *δμολογήσαντας*.

oportuisse nostra aetate constat. Lipsius, Berichte der sächs. Ge-
sellsch. der Wissensch. 1891 p. 58, idem l. antea s. p. 228.
Neque dubium mihi videtur, quin ad hunc arbitrum publicum
spectent verba § 122. *ταῦτα γὰρ καὶ πρὸς τῷ διαιτητῇ λέγειν*
ἐπεχειρεῖ, quo loco imprimis velim in singularem numerum animam
intendas. Sed ex eis ipsis verbis, quibus demonstratur rem ad
arbitrum publicum delatam esse, sumi potest *δίχην προικός* ab
actore intentam non esse, nam dotis actio in *ἐμμήνοις* numeranda
ab arbitro publico non diiudicatur. Lipsius l. s.; cf. p. 44 infra.

Iam satis me exposuisse censeo de eis, quae facta sunt, ante-
quam causa ad indices ipsos delata est: quaerendum est, quibus de
causis actor Spudiam reum egerit.

II.

De actoris criminibus apud indices prolatis.

Quae ex conspectu supra dato iam novisti, paucis repe-
tenda sunt:

A. Spudias impedit, ne actor ex domo pignori opposita habi-
tationum mercedes cogat.

B. Spudias 20 minas (2 Polyucto, 18 eius uxori debitas) in
corpus hereditarium non confert. Eodem modo res parvulas quas-
dam nescio quibus condicionibus a Polyucti uxore sibi datas
retinet.

C. Unam minam actoris uxor in patris defuncti memoriam
impedit, cuius summae dimidium Spudias eiusque uxor solvere
recusant.

cf. Dareste plaid. civ. I 152; Lipsius AP² p. 602 adn. 322;
Thalheim Progr. 1892 p. 8.

Veniamus ad primum illud crimen.

A.

Polyuctus, cum alteram filiam actori desponderet, testibus ad-
hibitis ei dotem 40 minarum promisit, cuius pecuniae ei statim
30 minas numeravit, cum 10, quae restarent, actorem accepturum
esse post Polyucti mortem inter se constituerent, pro quo debito
Polyuctus praedem dat Leocratem. Sed cum Leocrates adoptione
et matrimonio solutis de familia decessisset et Polyuctus gravi
morbo affectus moriturus esset, actor debiti pignus poscit et Poly-
uctus ei domum pro decem illis minis opponit, quod pignus *ἀποτί-*

μημα appellatur. Ex hac domo actor Spudia invito habitationum mercedes cogere studet.

Diutius his in rebus satis difficilibus commorandum videtur atque primum quidem quaerendum, quam ob rem Polyeuctus, priusquam ἀποτίμημα dedit, Leocratem praedem instituerit (§ 6 καὶ τὸν Λεωκράτην συνέστησε, § 16 τοὺς ἀκούοντας ... συστήσαντος ἀποδοῦναι. cf. Valesius in Dind. ed. Harpocrat. II p. 466; Schoemann ad Is. VIII, 23 p. 390; AP² 689) aut quomodo, quod Polyeuctus fecit, intelligendum sit. Atque συνιστάναι habere notionem „praedem dare“ docet Isocr. Trapez. § 37.¹⁾ Sed vocem hoc loco idem significare putare non licet, nam primum eum, qui praes datur, pecuniaria bona possidere necesse est — Leocrates autem in communionem bonorum Polyeucti fortunas suas contulit (cf. p. 55); deinde Polyeucto mortuo, i. e. cum debitum solvendum erit, Leocrates ipse ut filius adoptatus dominus erit eorum bonorum, ex quibus decem illae minae solvendae sunt. Fieri non potest, ut eiusdem pecuniae debitor et praes sit.

De voce
συνιστάναι.

Sed latius patet sensus vocis συνιστάναι, unde illa quoque significatio, de qua modo diximus (praedem dare), originem duxit: συνίστημί σοί τινα παρέχειν τι hanc vim habet: coram te sisto aliquem ut aliquid praebeat aut praesente te mando alicui, ut aliquid praebeat. (Schaefer ad [Dem.] XLIX, 28 in ed. Lond. VII p. 275; AP² 689.) Quocum conferas huius orationis § 16: τοὺς ἀκούοντας συστήσαντος (sc. Polyeucti Leocratem actori) ἀποδοῦναι i. e. Polyeuctus actore praesente Leocrati mandavit, ut solveret decem illas minas. Miretur fortasse quispiam, quod Polyeuctus hoc fecit, cum per se Leocrati ut filio adoptivo atque heredi Polyeucti solvendum esset, quod pater debuit; sed Polyeucti intererat Leocratem nomen illud confiteri, ne patre mortuo fieri posset, ut debitum extare negaret. cf. Dareste pl. civ. p. 165 adn. 9; Thalheim Progr. 1892 p. 8 „Diese Verpflichtung hatte Leokrates als Adoptivsohn und Erbe des Polyeuktos anerkennen müssen.“²⁾)

¹⁾ ἐρωτῶντος γὰρ Στρατοκλέους, ὅστις αὐτῷ ἀποδώσει τὰ χρήματα, εἰάν . . ., Πασίων αὐτῷ συνέστησα καὶ ὁμολόγησεν ὅτος αὐτῷ καὶ τὸ ἀρχαῖον καὶ τοὺς τόκους τοὺς γιγνομένους δώσειν. καίτοι εἰ μὴδὲν ἔκειτο παρ' αὐτῷ τῶν ἐμῶν, οἷσθ' ἂν αὐτὸν ὅτω βραδίως τοσούτων χρημάτων ἐγγυητήν μου γενέσθαι;

²⁾ similis verbi συνιστάναι usus occurrit apud Is. VIII, 23: Diocles (debitor prior) συνίστηται (vel potius se hoc facturum esse promisit) negotiatores, qui res ad sepulturam necessarias praestiterunt (creditores), actori (posteriori debitori). Eodem sensu Isaëus dicere potuit: Diocles (debitor prior) συνίστηται actorem (debitorem poster.) negotiatoribus (creditoribus), ita ut hae res satis quadrent ad nostram orationem. Nihil enim interesse, dicasne συνίστημί σοι τοῦτον, an dicas συνίστημί σε τούτῳ, iam monuit Reiske in Indice Graecit.

De usuris
pro dote non
numerata
solvendis.

Sed missa haec faciamus et audiamus quae doceant viri docti de dote promissa sed non numerata¹⁾: inter se consentiunt dotis non numeratae fenora redire ad maritum. cf. Beauchet I 294, ubi vox „croire“ in contrarium (velut „nier“) mutanda videtur (lin. 6); eis quos laudavit in adn. 2 addas: v. d. Es p. 39; Platner Der Prozeß und die Klagen bei den Attikern II 1825 p. 264; Boeckh Die Staatshaushaltung der Athener I³ 1886 p. 598. Quibuscum in universum faciendum est. Sed Polyeuctus actori usuras non solvit. Ut suam sententiam probet, Beauchet hanc ipsam orationem adfert: actor ex domo oppignerata habitationum mercedes pro usuris dotis debita cogere studet „comme si les loyers lui étaient naturellement dûs en représentation des intérêts de la dot.“ Quomodo autem res se habuerint, postquam pignus (ἀποτίμημα) datum est, alio loco disquiremus; sed licet actor pignore constituto usuras acceperit, — demonstrari posse censem Polyeuctum, antequam ἀποτίμημα dedit aut — quod idem est — antequam mortuus est, ei fenus non solvisse. Omni enim modo in oratione actor id agit, ut probet Polyeuctum sibi ἀποτίμημα non iniuria sed pro debito dedisse (§ 19 δικάως καὶ προσοφειλομένων ἀπετίμησε cf. Hitzig I. s. p. 137) et demonstret Polyeuctum semper — etiam antequam pignus dedisset — se pecuniam illam debere confessum esse. (§ 6 ἅπαντα τὸν χρόνον ὀφείλειν ὁμολόγει μοι Πολύευκτος.) Quo autem modo hoc facilius demonstrare potuit, quam si se usuras accepisse, priusquam pignus constitutum esset, iudicibus persuaderet? Attamen hac via progredi conatus non est: usuras decem minarum Polyeuctus non solvit antequam domum oppigneravit.²⁾ Neque habemus, cur de hac re miremur: si pater dotem promittebat, partem dotis non statim persolvebat, cur ei licuisse negemus pro parte debita fenus non solvere, praesertim cum nulla lege, quanta dos a patre constituenda esset, praescriberetur? cf. Billeter, Geschichte des Zinsfußes im griech.-röm. Altert. 1898 p. 51 adn. 7; aliter Beauchet I 294. In primis autem eis repugnandum est, qui 18 de centenis solvi debuisse arbitrantur duobus praecipue argumentis nixi. Dareste bull. de corr. hell. II 1878 p. 486; recueil I 58 et 134; Schulthess Wochenschr. für klass. Philol. IX 1892 col. 767.

Lege enim sanctum est, ut is maritus solvat 18%, qui dotem

¹⁾ Saepius factum esse, ut pater alteram dotis partem numeraret, alteram deberet, consentaneum est; exempla praebet Thalheim R.-A.⁴ 77 adn. 2 et 99 adn. 4; quin etiam, plerumque dotes ita constitutas esse contendunt Francogalli in rec. I p. 58 et 133.

²⁾ quod argumentum e silentio petatum nimis audax non est, cum Dem. XXX, 9 concludat dotem numeratam non esse, quod usurae solutae sunt, attamen constitutam.

xyρίω uxoris reddendam (sive quod matrimonium, cuius causa dos data est, non iniit, sive quod matrimonium solutum est) retineat. AP² p. 519 sqq. Sed hae res minime congruunt cum eis, de quibus modo locuti sumus, neque intellegimus, cur tantas usuras solvat pater (aut qui dotem constituit) pro dote debita, quantas maritus pro dote non reddita, cum pater sua sponte dotem constituat, maritus eam reddere legibus cogatur. Neque quicquam colligi potest ex altero argumento: permagnae extant virorum doctorum dissensiones de cippo I. G. II 1137 = Dittenb. Syll.² 818, quas ab ovo retractare eo minus meum est, quod copiose de titulo postremus egit Billeter l. s. p. 53 sqq. et p. 379.¹⁾ Omnibus omissis, quae huc non pertinent, pro vero habemus *ἀποτίμημα* datum esse a marito (Koehler), non a Pythodoro, mulieris *xyρίω* (Dareste); 18 %^o, quae invenimus, solvenda fuisse a marito pro dote retenta (Koehler), non a Pythodoro pro dote non numerata (Dareste).

Haec fere mihi adferenda erant, ut demonstrarem haud ita parvi momenti esse novisse Polyuctum pro debita parte dotis usuras non solvisse, cum alii censeant has usuras esse legitimas; sed iam redeundum est.

Triginta minas Polyuctus genero persolvit, sed pignus illud, quod sponsus praestare solebat (*ἀποτίμημα* cf. p. 20) ut de dote recuperanda uxori eiusque cognatis caveret, actor non dedisse videtur, quod mirum non est, nam hanc hypothecam, quamquam in usu erat, legibus praescriptam non fuisse aliis quoque argumentis probatur; cf. Harpocr. s. v. *ἀποτιμηταί*: *εἰώθεσαν δὲ καὶ οἱ τότε . . . αἰτεῖν παρὰ τοῦ ἀνδρός ὥσπερ ἐνέχυρόν τι τῆς προικὸς ἄξιον*. simil. Bekker anecd. I p. 423; Beauchet I 332.

Contra Polyuctus pater genero pignus dedit pro dotis parte debita, quod eodem nomine *ἀποτίμημα* significatur. De usu huius vocis nonnulla praemittenda sunt, nam quod dicimus actorem ut sponsum *ἀποτίμημα* non dedisse pro dotis parte accepta et Polyuctum genero *ἀποτίμημα* praestitisse pro dotis parte non numerata, eadem voce duo pignora²⁾ significamus, quae valde inter se

¹⁾ eis, qui de cippo scripserunt, diligenter a Billeter l. s. conlatis addas Guiraud, La propriété foncière en Grèce 1893 p. 284; Thalheim R.-A.⁴ 77 adn. 2 et 163 adn. ad lin. 55; Beauchet I 298; Dittenb. Syll.² l. s.; Roberts-Gardner: Introd. to greek epigr. II 1905 p. 496, qui omnes stant a Rudolpho Dareste; cum Ulrico Koehler facit Curtius in Bursian, Jahresber. XV 1878 p. 38.

²⁾ in eis, quae sequuntur, nomen pignoris non solum imponimus pignori, quod in manum traditur (Faustpfand), sed etiam hypothecae; simili modo Graeci voce *ἐνέχυρον* utuntur de hypotheca; cf. AP² 690; Dittenb. Syll.² n. 828 adn. 4; Thalheim R.-A.⁴ p. 100 adn. 1.

differunt. Quid igitur hac voce indicatur, quantum quidem spectat ad res pignoratiticias?

De usu vocis
ἀποτίμημα.

Apud oratores Atticos, in inscriptionibus, apud lexicographos vox ἀποτίμημα et quae cum ea cognata sunt plerumque de his duabus rebus usurpantur.

1. impuberum tutores aut sua sponte aut legibus coacti ab archonte petunt, ut pupillorum rem familiarem elocet (μίσθωσις οἴκον). Quam qui conducunt, de suis pignus dare debent pro bonis conductis, quod pignus ἀποτίμημα nominatur. Praediis oppigneratis cippi (δρῶς) affigendi sunt, quibus quanta sit oppignratio indicatur. AP² 363, 693; Schulthess Vormundschaft nach attischem Recht 1886 p. 157 sqq.; Beauchet II 252 sqq.; idem apud Dar. Sagl. s. v. μίσθ. οἴκον 1904. Hi omnes scriptorum adferunt locos, qui in censum veniunt; cippos collegerunt Francogalli in recueil I p. 108 et 502; nonnullos addidit Hitzig l. s. p. 67; novos quosdam publicavit Ziebarth, Sitzungsber. der Berl. Akad. 1897 p. 664; de eis qui in I. G. recepti sunt, egit Larfeld, Handbuch der att. Inschr. II 1902 p. 931.

2. Sponsus, cui dos a patre tradita est, pignus de bonis suis praestare solet, cui idem nomen ἀποτίμημα est, ne dote abutatur (nihil enim habet nisi usum fructum) neve matrimonio soluto eam retineat. Cipporum usus idem fere est, nisi quod penes partes est δρῶς affigere, nihil lege statuitur. cf. AP² 518; Thalheim apud Pauly-Wiss. v. ἀποτίμημα; Beauchet I 332 sqq.

Nonnulli cippi (I. G. II 1136, 1141, 1151; Ziebarth l. s. n. 21) ita deleti sunt, ut nesciamus, qua de causa ἀποτίμημα datum sit, sed cum in tot cippis, qui aetatem tulerunt, vox ἀποτίμημα non adhibeatur nisi de pignorum generibus adhuc tractatis, hos quoque titulos alterutrum genus respicere suspicari licet.

Haec ipsa pignora cur Attici eodem nomine complexi sint, facile apparet:

Qui pupillorum bona conduxerunt, usuras, de quibus archonte adiutore (AP² 362) convenit, solvunt, sed ἀποτιμήματος domini ipsi manent neque unquam domini esse desinunt, si die constituto fenus solvunt et bona imminuta pupillis adultis reddunt. De antichresi¹⁾ igitur, quam vocant, cogitari nequit, nam conductores ex bonis pupillorum fructus percipiunt et usuras constitutas solvunt; pignoris ipsius fructus pupillis aut eorum κηρύσις non traduntur. cf. Platner II 283; Schulthess 167. Neque dissimilis est res, cum agatur de dote: qui mulierem despondit, in possessionem ἀποτιμή-

¹⁾ antichresis locum habet, si creditor pignoris fructus accipit pro debiti usuris. Beauchet III 212.

ματος a marito dati non venit, nisi hic laedit leges, quae extant de dotis usu fructu et restitutione. Ne hic quidem de antichresi cogitari potest, nam qui dotem constituit, usuras omnino non accipit. Mirum enim esset marito et dotem accepisse, ut eius fructus caperet, et fructus sui praedii pignori oppositi ei committere qui dotem constituerit. Ita si res esset, nescio cur dos constitueretur. cf. Platner II 268.

Sed cum haec duo pignorum genera, quorum naturam¹⁾ modo exposuimus, plerumque in censum veniant, ubi ἀποτίμημα commemoratur, nullo iure Darestium generaliter pl. civ. I 165 adn. 4 contendisse apparet: „il ne faut pas oublier que l'ἀποτίμημα est plutôt une antichrèse qu'une hypothèque.“

Nonnunquam autem vox ἀποτίμημα adhibetur de aliis pignorum generibus. Atque primum quidem quid ex oratoribus et inscriptionibus de hoc usu cognoscatur videamus:

1. ἀποτιμήματα data esse, ut bonis publicis caveretur, docent:

a) I. G. II 1059 = Dittenb. Syll.² 534: Piraeenses fundos quosdam elocant et conductores securitates praebere iubent: τοὺς μισθωσαμένους ὑπὲρ Ἀ δραχμῶν καθιστάναι ἀποτίμημα τῆς μισθώσεως ἀξιοχρεῶν · τοὺς δὲ ἐντὸς Ἀ δραχμῶν ἐγγυητὴν ἀποδιδόμενον τὰ ἑαυτοῦ τῆς μισθώσεως. Nostra hoc loco interest comperire ἀποτίμημα posci, cum pagus locet fundos; quid verbis insequentibus indicetur, accuratius explicare nequimus; satis sit commemorare nos praeferre sententiam a Ferdinando Hitzig p. 39 (Beauchet III 199 adn. 3) prolatam ei, quam probant Francogalli in recueil I 270 (Dittenb. l. s. adn. 6); cf. praeterea AP² 724 adn. 704; Schulthess 166.

b) I. G. II 570: Plothenses per magistratus pecunias mutuas dare decernunt ei, ὃς ἔ[ν] πεῖθ[η] τοὺς δανείζοντας ἀρχοντα[ς τιμῆ]ματι ἢ ἐγγυητῇ. Supplevit [τιμῆ]ματι Sauppe in Mus. Rhen. vol. IV 291 aptius, quam Boeckh C. I. Gr. I 82 p. 122 ἀρχοντι ἀποτιμήματι, neque dubium est, quin τίμημα hoc loco sensum habeat ἀποτιμήματος, cuius usus alterum exemplum praebet Lysias teste Harpocrate s. v. τίμημα; fortasse etiam conferri potest titulus Ten. Newton Inscr. brit. Mus. II 1883 n. 377 lin. 98:²⁾

¹⁾ naturae ἀποτιμημάτων obloqui videtur Dem. XXX 26 et 29 quo loco Demosthenes ἀποτίμημα ab Aphobo Onetori datum non esse inde concludit, quod fructus pignoris non Onetor sed Aphobus percipit. Sed hoc consideres: adversarii contendunt matrimonium esse solutum, dotem non redditam. Quod si verum esset, merito Demosthenes exspectaret fructus pignoris capere Onetorem. cf. Platner II 269.

²⁾ cf. recueil I p. 82; non receperunt hos versus Collitz - Bechtel III 2, p. 623.

..ἐπρίατο τὴν οἰκίαν... ἢ τετίμηται Φιλήμονι. cf. AP² 689 adn. 573; Beauchet III 184 adn. 1.¹⁾

2. Eranistis ἀποτίμημα datur in titulo I. G. IV, 2, n. 1139 b = Dittenb. Syll.² 824, sed quale fuerit debitum,²⁾ nescimus. Qui cippus aliis de causis magnas praebet difficultates: idem enim praedium ter pignori oppositum est, bis invenimus πρᾶσιν ἐπὶ λύσει, semel ἀποτίμημα, atque quae ratio intercedat inter pignora dubium est. cf. Hitzig p. 124; aliter Szanto arch.-epigr. Mitt. XX 1897 p. 112 adn. 15.

3. Pignus datum pro dotis parte debita ἀποτίμημα vocatur in oratione Demosthenica, quam tractamus. Quam rem confundendam non esse cum ea, de qua exposuimus sub num. 1, apparet; ne fieret, iam monuit Boeckh, Kleine Schriften IV, 163 adn. 4.

a) Huc pertinere verba tituli Tenii supra laudata opinatus est Thalheim R.-A.⁴ 99 adn. 4, ita ut domus Philemoni oppignerata sit pro dote non numerata; pignus datum esse Philemoni pro bonis pupillorum, quae elocavit, censuit Newton l. s. p. 150; de alio pignore qui cogitabit, refutari non poterit, nam vox τετίμηται non obstat.

b) In cippis I. G. II 1137 et Ditt. Syll.² n. 830³⁾ ἀποτιμήματα vocari pignora a socero data pro dote debita plerique docent (velut recueil I 125), sed recte haec ἀποτιμήματα constituta esse a marito pro dote accepta contendit Hitzig p. 44.

4. Contendunt Francogalli in recueil I p. 124 ἀποτιμήματα non solum dari a conductoribus pupillorum bonorum, sed etiam a tutoribus, qui ipsi bona administrent. Quam sententiam ut confir-

¹⁾ liceat suspicari fundum quendam tribulibus pignori datum de quo litem extitisse docet Is. frgm. 4 (Thalh.) idem nomen habuisse: ἀποτίμημα, quamquam Dionys. Hal. de Is. 10 generaliter: τὸ χωρίον ὑπέκειτο (τοῖς διμότησι); cf. AP² 724 adn. 704.

²⁾ ἔξω τῶν ἀποτιμηθέντων occurrit in Is. frgm. 29 (Thalheim), sed ne hic quidem, quibus de rebus agatur perspicuum est; cf. Buermann Jahrb. f. kl. Phil. CXXIX (1884) p. 364; Schulthess Vormundschr. p. 159 adn. 1.

³⁾ de I. G. II 1137 supra egimus (p. 19); alter titulus est Amor- ginus in quo ἀποτίμημα praebetur Κλεινοκράτει Τιμαγόρου. Atque Κλεινοκράτει derivandum esse a Κλεινοκράτης, nomine masculino, arbitran- tur Radet et Paris, bull. de corr. hell. XIII 1889 p. 344; Fick et Bechtel Die griech. Personennamen² 1894 p. 169 et 174; Dittenb. Syll.² III p. 66; nos Κλεινοκράτει cum viro d. Hitzig ducimus a Κλεινοκράτης, nomine mulieris, quamquam apud Atticos haec nomina cum stirpe κρατ- composita excidere solent in κράτεια; cf. Bechtel Die attischen Frauennamen 1902 p. 22; alibi enim exeunt in κράτης: Ἠγεκράτης in Amorgo ipsa Dittenb. Syll.² n. 831 lin. 4; Τιμηκράτης Myconi, Dittenb. Syll.² n. 817 lin. 17; Ἐπικράτης Pheris, bull. de corr. hell. VII 1883 p. 61 n. 16.

ment, laudant Ottonem Schulthess p. 166, qui hac de re omnino non loquitur; cf. Guiraud propr. fonc. p. 321 adn. 3. Neque ullum locum invenimus, qui in censum veniret, nisi Dem. XXX 7: *Onetor dotem sororis Aphobo non numeravit, ὥστερ εἰ τὰ τῶν ἐπιτροπευόντων χρήματ' ἀποτίμημα τοῖς ἐπιτροπευομένοις καθεστάναι νομίζων*. Unde nemo colliget ἀποτίμημα revera dari. cf. Platner II 288. Thalheim R.-A.⁴ 17 adn. 1. Neque scio, quam ob rem Dareste de hac re sententiam mutaverit, nam antea (pl. civ. I p. 85) probavit, quod nobis probabile videtur.

5. Ad res pignoraticias non pertinent: [Dem.] LIII 20 *ἐναπετίμησεν*; Dem. XLI 27 *χωρὶς τῶν εἰς τὰς χιλίας ἀποτιμηθέντων*, ibidem *ὧν ὁ Πολύευκτος προσαπετίμησε* (v. l. *προσαπέτεισε*) *τῷ Λεωκράτει πλεῖν ἢ χιλίας*; Bekker anecd. I 184 *ἀποτιμᾶσθαι: διταν παραχωρῶσι τὴν οἰκίαν ἢ τὸ χωρίον διὰ τὸ μὴ δύνασθαι δοῦναι τὸ χρέος*.

Neque lexicographi ignorare videntur ἀποτίμημα non solum adhiberi de duobus illis pignorum generibus. Incipiamus a Polluce: cum ceteri lexicographi pignus aestimatum datum esse moneant, si bona pupillorum elocantur, hic non loquitur de *μισθώσει οἶκον*, sed in universum de *μισθώσει*: VIII, 142 *ἀποτίμημα δ' ἐστὶν οἶον ὑποθήκη· κυρίως μὲν πρὸς τὴν προῖκα, ἤδη δὲ καὶ πρὸς τὰς μισθώσεις*. Quod quin de industria fecerit nemo dubitabit, qui inscriptionum usum noverit. Neque minus valet quod apud Harpocratonem scriptum legimus v. *ἀποτιμηταί: ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὀφλημάτων*, hoc est: *ἀποτίμημα* datur non solum pro dote accepta aut bonis pupillorum conductis (de quibus antea verba fecit Harpocratio), sed pro quolibet debiti genere, pro omnibus negotiis in quibus contrahuntur obligationes; eadem verba Suidas v. *ἀποτιμηταί*, Bekker anecd. I p. 437. Idemque censuisse videtur Hesychius, cum diceret generaliter v. *ἀποτιμήσασθαι: τὸ λαβεῖν εἰς ὑποθήκην*.

Si quae contulimus perlustramus, statuere possumus ἀποτιμήματα in primis appellari pignora data a marito pro dote accepta aut a conductoribus patrimoniorum pupillorum pro his bonis, sed non deesse exempla, quibus demonstratur eandem vocem adhiberi de pignoribus alias ob res oppositis. Utrum voce initio sola duo illa pignora significata sint, postea etiam alia, an inde ab initio complura pignorum genera idem nomen habuerint, certis argumentis diiudicari nequit; sed sunt, qui illud non sine veritatis specie pro vero habeant. Dareste bull. II 485 (1878); Barrilleau, constit. de dot in Nouv. Revue Hist. de droit VII (1883) p. 169. Dareste bull. XII 304 (1888). cf. autem p. 25.

Quaerendum autem est, num omnia haec pignora inter se

conferri possint. De duobus illis supra iam locuti sumus: alterum alteri satis simile est; praecipue conferas, quae exposuimus de dominis et de antichresi p. 20. Cetera et ab his et inter se differunt; primum quidem quantum respicimus creditores: ἀποτιμήματα dantur pagis, eranistis, genero a socero, nescio quo pacto Philemoni; deinde quantum spectamus debita: dantur enim ἀποτιμήματα pro bonis conductis, pro pecunia mutua accepta,¹⁾ pro pecunia debita. Sed sint condiciones dissimiles, hoc omnium ἀποτιμημάτων est: pignoris dati dominus manet debitor i. e. omnia ἀποτιμήματα sunt hypothecae. Antichresis autem, quam ab illis duobus abhorreere vidimus, hic locum habet et reapse invenitur in Demosth. XLI, quod paullo post demonstrandum erit.

Quae cum ita sint, infelici fortuna accidit, quod virum doctum Szanto arch-ep. M. XX p. 106 sqq., cum demonstrare studeret, quomodo ἀποτιμήματα differrent a ceteris hypothecis, nonnulli ex titulis adlatis fugerunt, quibus quod exposuit satis conquassatur. Suspiscatus enim est ἀποτιμήματα ceteris hypothecis ita antecellere, ut et praedium pignori oppositum publice taxaretur et haec pignora peculiari lege (orationis nostrae § 7 memoriae tradita) protegerentur; neminem autem hanc hypothecam ita privilegio exornatam accepisse, nisi qui dignus esset singulari tutela: feminas et pupillos. Cui sententiae multa obloquuntur: tituli enim ab Emilio Szanto omisi docent ἀποτιμήματα non solum dari pupillis aut feminis, sed pagis, eranistis, viris privatis; ex oratione autem adversus Spudiam habita patet actorem, non uxorem eius ἀποτίμημα accepisse, cf. verba: τὴν οἰκίαν ταύτην ἀποτιμῶμαι (§ 5), ὀφείλειν ὁμολόγει μοι Πολύευκτος (§ 6), ἀπειμήσέ μοι τὴν οἰκίαν (§ 19); aliter Szanto l. s. p. 109.

Neque habemus, cur censeamus praedium pignori oppositum publice taxatum esse, quia hoc tum solum factum esse traditum est, cum ageretur de μισθώσει οἶκον; atque ut concedamus pagos, quos ἀποτιμήματα poscere novimus, per pagi magistratus pignus oblatum taxari iussisse: factum hoc est, quod pagis ipsis ἀποτιμήματα danda erant. Veri autem simile non est magistratus adfuisse, si gener pro dote accepta aut socer pro dote non numerata ἀποτίμημα daturi erant. Neque igitur hoc ἀποτιμήματος proprium esse existimare licet.

¹⁾ πᾶσις ἐπὶ λύσει in universum in usu fuisse videtur, si pecunia credebatur, cf. Hitzig p. 8; Swoboda Beiträge zur griech. Rechtsgesch. 1905 p. 80. Quod mirum non est, nam magis caveri ei expectamus, qui pecuniam mutuat, quam qui bona elocat; nam multo maius est periculum amittendi. Plathenses autem satis habent pro pecunia credita ἀποτίμημα poscere.

Quid vero de lege commemorata dicendum sit, alias viderimus (cf. p. 27), hoc loco haec statuere satis habeamus: concedamus vocem ἀποτίμημα pedetemptim esse prolatam; attamen constare videtur hanc legem latam esse cum ἀποτιμήματα non solum darentur pro dote accepta et bonis pupillorum conductis, sed cum eodem nomine aliae quoque hypothecae significarentur. Nos enim censemus Demosthenem XLI, 6 hanc legem suo iure adferre, cum agatur de pignore dato a socero pro dote non numerata, neque putamus propterea Spudiam contendisse: „ὁ δὲ δικαίως ἀπετίμησε τὴν οἰκίαν ὁ Πολύευκτος“ (quod concludi potest ex § 19), quod ἀποτίμημα datum erat, cum alia hypotheca danda fuisset (Szanto l. s. p. 111), sed quod iudicibus persuadere studebat, Polyuctum ab uxore et genere (actore) commotum esse ut ἀποτίμημα daret, quamquam nihil debebat; cf. p. 30. Re vera igitur hac lege proteguntur ἀποτιμήματα, sed lata est, cum Attici voce ἀποτίμημα complecterentur complures (fortasse omnes) hypothecas, non solum eas, quas tractavit Szanto.

Haec fere nobis de natura ἀποτιμημάτων exponenda erant, iam vero nostrum est quaerere, quibus condicionibus a Polyucto id ἀποτίμημα datum sit, quod testamento eum praestitisse scriptum legimus § 6.

Atque monendum est Polyuctum, cum filiam desponderet, promisisse actorem decem minas accepturum esse, si ipse mortuus esset. Sed cum moriturus esset, non habuisse videtur, unde genero pecunia numeraretur, nam si pecunia parata fuisset, pignore vix opus fuisset: dies solvendi prorogata, ἀποτίμημα datum est. Usuras autem debiti actorem adhuc non accepisse supra tibi persuadere studuimus, sed cum pecuniam tempore constituto (i. e. Polyucto mortuo) non acciperet, eum inde ab hoc die fenus percepturum esse exspectamus; donec debitum solutum erit. Quis vero pecuniam debitam persolvat Polyucto mortuo et unde actor usuras accipiet? Quamdiu Leocrates heres futurus Polyucti erat, ne socero mortuo damnum acciperet, actor non timebat, sed cum ille de familia decessisset et actor ipse Spudiasque heredes futuri facti essent, actor ex corpore hereditatis debitum eiusque usuras accepturus, ut domum pignori opponat et oppignerationem ὄροις affixis¹⁾ confirmet, socero persuadet, qua ex domo habitationum mercedes²⁾ Spudia invito pro

De ἀποτιμήματι αὐτοῦ
a Polyucto
dato.

¹⁾ miramur, quod complures cippi commemorantur § 6, quamquam una domus pro uno debito oppignerata est; nescio an hoc pendeat ex domus natura et situ.

²⁾ § 5 τὰς μισθώσεις κομιζέσθαι: eadem vocis μισθώσις notio invenitur apud Isaeum V, 11, 35; XI, 42; frgm. 29 (Thalheim); apud Dem. XXXVI, 51; [XLI], 58; in titulis I. G. II 1055 lin. 6; 1058 lin. 17;

usuris illius debiti cogere studet: hypothecam habemus coniunctam cum antichresi. Quid actor pignore accepto lucratus sit, apparet: ipse habet, unde usuras accipiat, Polyuctus moriturus nomen debitum extare confessus est, eius heredes secundum legem de ἀποτιμήμασι latam de debito litem intendere non possunt. Sed domus possessionem aut dominium actor adhuc neque adeptus est neque nostra sententia adipisci studet, nam domus ἀποτιμήματι obligata est, ἀποτιμήματα autem ut hypothecae apud debitorem (i. e. hoc loco in hereditate) manent.

Quae cum contendimus, negamus diem debiti solvendi iam venisse, nam si hic dies venit, creditori — debitore non solvente — licet in pignoris possessionem ingredi, quod Graeci vocant ἐμβαίνειν.¹⁾ Atque si ita res essent, hac in oratione actor usuras domus percipere conaretur, non quod cum Polyucto ἀντίχρησιν constituisset, sed quod debito tempore constituto non soluto in pignoris possessionem ingredi posset. Spudias igitur eum non solum impediret, ne fructibus domus uteretur, sed etiam ne in domus possessionem veniret. Hanc sententiam secutus est Hitzig p. 93: „es handelt sich um eine fällige Forderung und die Rechtsstellung des Gläubigers nach Verfall“; et adn. 4 „die Forderung war mit dem Tode des Polyukt fällig geworden: δμολογηθεῖσων ἀπολαβεῖν, ὅταν Πολύευκτος ἀποθάνῃ, § 5“. Sed nos, ut vidisti, facimus cum eis, qui de antichresi cogitaverunt: Dareste pl. civ. I 165; Thalheim R.-A.³ p. 89 adn. 3 (quae verba Thalheim non recipit in R.-A.⁴); Beauchet I 294.²⁾ Nam primum quidem actor nusquam contendit domum sibi tradendam esse, sed conqueritur, quod impeditur, ne fructus capiat; deinde Polyuctus pignus dedit, cum se moriturum esse sensisset, quinque diebus antequam mortuus est. Quod cum faceret, non id egit, ut pignus modo datum paullo post in actoris possessionem veniret, nam hoc si voluisset statim genero domum aut domus partem pro illis decem minis dare potuisset.

Immo vero Polyuctus, cum pecunia praesens non esset, scivit

1059 lin. 13. De ceteris significationibus cf. e. g. Waszyński Die Bodenpacht, agrargesch. Papyr.-Studien 1905 p. 9.

¹⁾ utrum in possessionem an in dominium pignoris creditor veniat, dubium videri potest; qua de re, quam hoc loco in medio relinquere licet, conferas velim Hitzig p. 82; Thalheim R.-A.⁴ 103 adn. 3.

²⁾ similiter res explicare videtur Büchsen-schütz Besitz und Erwerb im griech. Altertum 1869 p. 493: „Hauptsächlich wurde diese Form (sc. πρῶσις ἐπὶ λύσει) wohl in dem Falle angewendet, daß der Ertrag der Hypothek dem Gläubiger statt der Zinsen überlassen wurde. Spud. 5.“ Res recte exposuit, sed eis nomen falsum dedit, nam πρῶσις ἐπὶ λύσει in censum non venit.

actorem se ipso mortuo summam statim accepturum non esse itaque ἀποτίμημα dedit. Ex hereditate pecunia solvenda est; fortasse non prius, quam actor et Spudias de bonis dividendis pactionem fecerint, persolvetur. Polyuctus autem cum non ignoraret multum saepe temporis dilabi, donec hereditas divideretur, testamento constituit, ut actor fructus domus pignori oppositae perciperet. Quae cum facta sint, actoris haud ita multum interesset, decem minas ipsas quam celerrime accipere, si re vera mercedes cogere posset. Itaque non miramur quod de die debiti solvendi actori cum Polyucto omnino non convenisse videtur, cum ἀποτίμημα dabatur.¹⁾

Sed haec relinquamus: videamus, quomodo actor Spudiae contradictiones repudiet. Cum testes vocat, qui confirmant Polyuctum nunquam desiisse confiteri se decem minas actori debere (§§ 6, 16), tum legem adfert, qua disertis verbis vetari contendit litem intendi de pignore a Polyucto dato. Quae lex accuratius tractanda est, nam quae insunt difficultates inter viros doctos controversias procreaverunt.²⁾

De lege in
§§ 7 et 10
adlata.

Duobus autem orationis locis legem laudatam invenimus:

§ 7: (νόμος) ὃς οὐκ ἐξ διαρρήδην, δσα (εἰς ἃ F. Q.) τις ἀπειμήσεν, εἶναι δίκας οὐτ' ἀδικοῖς οὐτε τοῖς κληρονόμοις.

§ 10: (νόμος) ὃς οὐκ ἐξ τῶν ἀποτιμηθέντων ἐτι δίκτην εἶναι πρὸς τοὺς ἔχοντας.

Sancitur igitur hac lege, ne ei, qui aliquid oppigneraverunt, aut eorum heredes de pignore litem instituant eis, qui pignus acceperunt. Atque, quod lege constituitur, neminem spectat nisi eum, qui pignus dedit (eiusque heredes), alii actiones intendere possunt; cf. Hitzig l. s.

Sed quam ob causam hanc legem latam esse putemus? Sunt qui existiment lege praescribi, ut eis, qui pignus acceperint, liceat sine ullo iudicio in pignoris possessionem ingredi, si, quod ab eo, qui pignus dedit, solvendum est, die constituto non solvitur; cf. Platner, qui ex duabus quas profert interpretationibus hanc probat; Büchschütz, Thalheim, Beauchet ll. ss. Verum est sine dubio,

¹⁾ cf. Gradenwitz, Einführung in die Papyrskunde I 1900 p. 115: Der Fruchtgenuss sichert den Gläubiger nicht gegen den Verlust des Kapitals, aber er stellt ihn unabhängig vom Zeitablauf, denn für das Entbehren des Kapitals während eines Jahres entschädigt ihn die Ernte eben dieses Jahres; darum ist bei diesen Darlehen der Termin für die Rückgabe nicht so wesentlich, denn es kann in der Zwischenzeit kein Zins auflaufen.

²⁾ egerunt de hac lege; Platner II 306; Büchschütz 491; Dareste pl. civ. I 165; AP² 523, 836; Szanto Wiener Studien IX (1887) p. 288; Thalheim R.-A.⁴ 103 adn. 3; Hitzig 137; Beauchet III 281; Szanto arch. epigr. Mitt. XX 109.

quod viri docti contendunt (cf. p. 26), sed hac lege hoc non constituitur, nam aliis verbis usus accuratius dicere debuisset, quid vellet, is, qui legem tulit. In primis autem exspectaremus lege dilucide significari eum qui pignus acceperit, sine iudicio (i. e. lite non intenta) in pignoris possessionem ingredi posse. Demosthenes autem ambobus locis (§ 7 ἀπειλήσῃ: qui pignus dedit; § 10 πρὸς τοὺς ἔχοντας: adversus eos, qui pignus acceperunt) testatur, eis qui pignus dederunt non licere litem intendere creditoribus. Quo accedit quod pignorum, quae nos vocamus „verfallen“, in lege mentio omnino non fit, atque si de his pignoribus ageretur — quod illi censent — lex a Demosthene hac in oratione nullo iure adlata esset, nam domus a Polyucto pignori opposita nondum actori committenda est, cum dies solvendi nondum venerit.

Aliter igitur lex interpretanda est atque audiendum, quod suspicatus est Szanto Wiener Studien I. s.: lege praescribi censet, ne debitor confiteatur quidem debitum extare, sed de pignore creditorem in iudicium vocet: quod fieri posse censet, si creditore ipso mortuo debitor pignus creditori datum esse contendit, non eius heredibus aut, si debitore mortuo eius heredes litem instituunt, quod ipsi pignus non dederunt, sed debitor. Ne haec fierent, legem latam esse, ita ut Attici hac lege praestarent „die Unanfechtbarkeit des Pfandrechtes“. Quam sententiam nimia diligentia excogitatam esse, quod fieri non potest, ut pignus alicui „ut personae“ detur, mihi persuasit Hitzig p. 144, qui ipse viro docto Szanto quoque assentiente (arch. ep. M. p. 109) aliam viam ingressus (p. 137) probavit, quod iam Platner (p. 306, priore loco) protulit: si pignus datum est, debitum extare negare non licet, de debito igitur actiones intendi non possunt: „über die Existenz der Forderung darf nicht mehr prozessiert werden.“ Quae legis interpretatio sola mihi recto talo niti videtur, neque Platnero adsentior, qui hanc cum illa priore loco commemorata arcte cohaerere arbitratur; nam si lege constituitur, ne de debito, pro quo pignus datum est, lites sint, inde non sequitur debitoris esse pignus actione non intenta creditori committere, si die constituta non solvit. Hac de re alias leges fuisse putandum est.

Sed ne silentio praetereamus argumenta esse, quae obloquentur, aut quidem obloqui videantur interpretationi nobis probatae!

Legimus § 10 lege sanciri ne lites intendantur πρὸς τοὺς ἔχοντας, unde plerique¹⁾ colligendum esse censent constitui, ne in

¹⁾ Platner II 306: „Das ἔχοντες deutet darauf hin, daß dem Pfandgläubiger sein Recht nicht bestritten werden kann, wenn er die ver-

ius vocentur ei in quorum possessionem aut dominium pignus venit; atque inde nata est illa sententia supra commemorata: agi in hac lege de pignoribus, quae nos vocamus „verfallen“. Sed si res ita esset intellegenda, lex a Demosthene laudata non quadraret ad rem, cuius causa laudatur, nam actor adhuc neque in possessionem domus oppigneratae venit neque in possessionem venire studet. cf. p. 26, aliter Hitzig p. 137 adn. 4.

Nobis verba ita interpretanda esse videntur, ut subaudiamus *πρὸς τοὺς ἔχοντας (τὸ ἀποτίμημα)* atque vertamus: gegen die, die das Pfand bestellt erhalten haben, non: gegen die, die das Pfand — nach Verfall — im Besitz (aut zu Eigentum) haben.

Neque nostrae legis interpretationi obloqui, quod actor Spudiam non solum lege sed etiam aliis argumentis refutare studet, mox videbimus; sed antequam hanc rem in disquisitionem vocamus, hoc absolvamus: pro vero habemus eum qui orationem habet litem intendisse Spudiae (unde ei dedimus nomen actoris): actor accusavit, Spudias accusatus est. Sed cum lege illa, si recte iudicavimus, constituatur, ne is, qui pignus dedit, eum, qui pignus accepit, de debito in ius vocet, quomodo suo iure actor contendit Spudiam legem laesisse, quamquam non Spudias actorem, sed actor Spudiam accusavit? Quibus rebus primus atque id magis quam opus est Szanto offensus esse videtur (arch.-ep. M. p. 110). Neque enim refert, uter alteri primus diem dixerit: Spudias, cum actorem impediat, ne mercedes cogat et ad iudices vocatus, quod fecit, defendat, aequae contra legem agit, ac si adversario litem instituisset, ut de debito certaret. Ut aliis verbis utamur: legem laedit, qui, postquam pignus datum est, debitum extare negat, sive ipse litem intendit ei, qui pignus accepit, sive ab illo ad iudices vocatus ita se defendit, ut debitum extare neget. Quae si recte explicavimus, non habemus cur cum viro docto Szanto Demosthenem obiurgemus de astutiis adhibitis.

Iam vero quaerendum est, num iure ac merito mirentur ei, qui a nobis dissentiant de lege interpretanda, quod actor magno opere id agit, ut demonstret Polyuctum semper confessum esse se decem minas debere, cum satis habere posset secundum legem adlatam contendere de debito litem intendi non posse, si re vera lege constitueretur, quod nos contendimus: cf. Beauchet III 282. Quod ne iure mirabile videatur, perpendendum est, quibus contra-

pfändete Sache besitzt,“ AP¹ 836: „kein Klagrecht gegen den Pfandinhaber.“ Dernburg Pfandrecht nach den Grundsätzen des heut. röm. Rechts I (1860) p. 74: „Auf das Recht der Arrestierung könnte sich das Gesetz beziehen.“ cf. Hitzig l. s.

dictionibus Spudias utatur. Neque eum recta via contendere debitum non extare consentaneum est, nam hoc si faceret, palam contra legem pugnaret; alia igitur via progreditur: lege sanctum est, ne lites sint de debito, si pignus datum est, sed non constitutum est, ne quis queratur, quod pignus iniuria acceptum sit. Quam ob rem Spudias, ut ex compluribus orationis locis cognoscitur, contendit actorem pignus per fraudem accepisse ita, ut et ipse et Polyencti uxor Polyenctum senem moriturum impellerent, ut per testamentum pignus daret, quamquam pecuniam non deberet. §§ 12, 16 *ὅπ' ἐμοῦ πεισθέντα*, § 19: *δικαίως καὶ προσοφειλομένων ἀπειμήσῃ*, — *εἴ γε δικαίως ἀπειμήσῃ*. Quod, ut iudicibus persuadeat, si Spudias contigerit, dubium est, an actoris causa bonum eventum habitura sit, nam Spudias provocare videtur ad legem latam de testamentis irritis optime servatam apud [Dem.] XLVI, 14, brevius apud Hyper. c. Athen. col. VIII § 17. (cf. Aristot. de rep. Athen. 35); in primis velim animum intendas in haec legis verba „*ἢ γήρως ἢ νόσον ἔνεκα*“, fortasse etiam huc pertinet „*ἢ γυναικὶ πειθόμενος*“. Sed si Spudias demonstraverit testamentum esse irritum, una demonstraverit pignus testamento datum vanum esse et deinde ei licebit de debito ipso certare: legem enim non laedit, nam pignus pro debito datum nihil iam valet.

Atque quod nonnullis orationis locis nisi suspicamur Spudiam contendere testamentum esse irritum, verba § 19 *ὡς δικαίως καὶ προσοφειλομένων ἀπειμήσέ μοι τὴν οἰκίαν ὁ Πολύενκτος* melius intellexisse nobis videtur quam Szanto, qui vocem *ἀποτίμημα* premens locum ita interpretatus est, arch.-ep. M. p. 111: Spudias demonstrare studet *ἀποτίμημα*, i. e. pignus privilegiis quibusdam exornatum actori datum esse, quamquam pignus simplex, ut hoc verbo utar, praebendum erat: itaque pignus irritum est. Cuius sententiae fundamentum recte positum esse negamus, ut supra satis exposuimus, nam notio *ἀποτίμημα* non tam angustis finibus continetur, quam Szanto arbitratus est.

Atque eadem de causa hanc legem respicere omnes hypothecas existimare licet: omnes hypothecae nomen *ἀποτίμημα* habuisse videntur eo tempore, quo lex lata est, neque non ad omnes hypothecas quadrat, quod lege praescribitur. Neque alia plerique virorum doctorum, qui legem interpretati sunt, censuisse videntur, nam loquuntur generaliter de pignoribus (Platner II, 306; Dernburg I, 74; AP² 836; Hitzig 137) aut de hypothecis (Beauchet III, 281). Seiungit quidem *ἀποτίμηματα* a ceteris hypothecis Büchschütz 491, cum ex sua interpretatione haec dicat „die *ἀποτίμηματα* sind aber in dieser Hinsicht den Hypotheken gleich zu achten“ (eadem

fere Thalheim, R.-A.⁴ 103 adn. 3), sed nemo vocem ἀποτιμᾶν ita premit, ut Szanto.

B.
www.libtool.com.cn

Quibus rebus ad finem perductis transgrediendum est ad secundum actoris crimen: Spudias pecuniam et nonnullas res a Polyeucto aut eius uxore acceptas in hereditatem inferre recusat. Quomodo singulae res se habeant, examinemus:

a) Duas minas sibi debitas Polyeuctum moriturum Aristogenes testatur a Spudia exegisse (ἐγκαλεῖν), quas Spudias neque Polyeucto solvit neque in hereditatem intulit. Uxor autem Polyeucti, cum moreretur, γράμματα reliquit, quibus Spudiam pecuniae debitorem esse demonstratur; §§ 8, 22.

b) Duodeviginti minas Polyeucti uxor Spudiae mutuas dedit, quas adhuc non reddidit; argumento sunt eadem γράμματα a Polyeucti vidua relicta; §§ 9, 22.

Ac primum exstitit quaestio, quando Polyeucti uxor pecunias mutuas dederit (etiam actor pecuniam accepit, cf. § 9): cum Polyeuctus esset inter vivos (Bunsen, de iure hered. Athen. p. 57), an eo mortuo? Loci ad quaestionem diiudicandam adhibendi inter se repugnare videntur, nam in § 8 nemo verba δατακοσίας δὲ καὶ χιλίας non referat ad δύο μὲν μνᾶς; supplendum igitur est ἐμαρτύρησεν Ἀριστογένης ἐγκαλεῖν ἀποθνήσκοντα Πολύεукτον: Aristogenes testatur Polyeuctum moriturum etiam duodeviginti illas minas exegisse. Contraria autem sequi videntur ex verbis § 22 ἐνῆσαν μὲν γὰρ αἱ δύο μναί, ἡ τιμὴ τοῦ οἰκέτου, καὶ οὐ μόνον ὁ Πολύεукτος ἀποθνήσκων ταύτας ἐνεκεκλήκει, ἐνῆσαν δ' αἱ χιλίαι καὶ δατακόσαι, nam hic Polyeuctus moriturus duas tantum minas exigit. Quomodo locorum consensus effici posset, Lipsius magister me docuit: si in § 8 inter verba μνᾶς et ἐμαρτύρησεν intericimus ᾶς, quod post μνᾶς facillime omitti poterat, et structura et sensus enuntiati emendatur. Quo facto non iam legimus Polyeuctum scivisse uxorem generis pecuniam mutuam dedisse neque quicquam obstat quominus eis argumentis confidamus quibus confirmatur, 18 illas minas post Polyeucti mortem generis litigantibus datas esse: et in § 8 et in § 9 primo loco Demosthenes enarrat, quae negotia generi cum Polyeucto transegerint, deinde, quae eis fuerint cum eius uxore, in § 9 autem opponuntur ὧν ἡ παρὰ Πολύεукτον ζῶντος ἦν ἐωνημένος ἡ παρὰ τῆς γυναικὸς εἶχον¹⁾ αὐτοῦ, unde efficere

¹⁾ Mai Neue Philol. Rundschau XXII (1902) p. 122 in adnotatione non ita perspicua vocibus ἡ (ante παρὰ Πολύεукτον) et εἶχον omissis dicit: „vor allen Dingen hat er (sc. actor) doch nicht von des Polyeuktos Gattin etwas Besonderes.“ Nescio, qui hoc negari possit.

debemus socrum marito mortuo generis pecuniam dedisse. cf. Schaefer l. s. VII p. 51; Thalheim Progr. 1892 p. 10¹⁾.

Sed si hoc constare videtur — unde mulier habebat, quod daret? Quod ut explicemus inter duas, quantum video, sententias optio datur, cum eam filiam hereditariam non fuisse (nam fratres extant) neque igitur patrimonium accepisse appareat: aut facimus eam pecuniam dedisse de dote sua aut de bonis Polyeucti. Dos enim, quam mulier quondam in domum mariti intulerat, illo mortuo aut ad fratres, quos Polyeucto mortuo mulieris *αυρίους* fuisse putamus, (cf. §§ 8, 9, 10, 18, 19, 21; Dareste pl. civ. p. 165 adn. 5; Thalheim l. s.) redire poterat, si vidua ipsa in eorum domum revertebatur, aut in liberorum²⁾ possessionem veniebat, si in mariti domo remanere malebat. Polyeucti uxorem hoc praetulisse existimare licet, ita ut dos venerit ad filias (aut fortasse ad generos, si heredes Polyeucti sunt). Dos igitur illis una cum Polyeucti hereditate obtingit, sed cum adhuc de hereditate dividenda inter se dissideant, licet existimare matrem in sua possessione dotem retinuisse, qua de dote generis pecunias ita mutuas dedit, ut in Polyeucti hereditatem essent referendae.

Veri autem est similis mulierem pecuniam sumpsisse ex bonis Polyeucti, nam de eius hereditate lis exorta est; § 1. Quod si verum est, res ita se habent: Polyeuctus moriturus testamento constituit, ut uxor bonorum administrationem et usum fructum haberet. Thalheim l. s.; idem R.-A.⁴ p. 10 adn. 3; Matthias: Urteile griech. Prosaiker . . . über die Stellung der griech. Frau, in Jahrb. für klass. Philol. vol. 147 (1893) p. 273; Balabanoff: Geschäftsfähigkeit der griech. Frau. Diss. Erlang. 1905 p. 33 adn. 1. Quamdiu autem fructus capiat, difficile est diiudicari: Thalheim censuit usque ad mortem, nos ipsi donec bona inter filias aut generos divisa sint. Quae sententiae magis differunt, quam primo aspectu putas, nam si usque ad mortem fructus percipit et administrationem habet, res multo magis ab usu Atheniensium abhorret: heres fere videtur vidua, cum Athenis uxores in hereditatem non vocari constet. Quo

¹⁾ Thalheim aliud argumentum adfert, quo mea sententia nihil demonstratur: in *γράμματα* a muliere relictis non solum inveniuntur, quae ipsa dedit, sed etiam quae Polyeuctus dederat (§ 22). „War Polyeuktos noch nicht verstorben, so hatte die Frau gar keine Veranlassung, diesen Posten in ihre Rechnung mit aufzunehmen.“ Sed inde sequitur Polyeuctum inter vivos non fuisse tum, cum socrus scribebat τὰ γράμματα, nullo iure colligitur, Polyeuctum mortuum fuisse, cum illa pecunias dabat.

²⁾ van den Es p. 56; Caillemer apud Dar.-Sagl. v. dos p. 393; Beauchet I 312; Schoemann-Lipsius Altert.⁴ I 561 docent matrem in mariti defuncti domo remanere posse, si liberi nati sunt, non solum, si filii nati sunt, id quod monet Meier AP² 520/21.

accedit, quod, si Thalheimii sententiam probaremus, litem exortam esse putandum esset, cum Polyeucti uxor mortua esset, non post Polyeucti ipsius mortem. Quod credibile non est, cum scriptum legamus in § 1: ἀπαιδὸς δ' ἐκείνου τελευτήσαντος ἀρρένων παίδων, ἀναγκάζομαι πρὸς τοῦτον περὶ τῶν καταλειφθέντων δικάζεσθαι, quibus verbis indicatur controversias generorum coepisse statim post soceri mortem, quo tempore eius uxor vivebat. Denique, si facimus viduam bonorum administrationem habuisse, donec hereditas inter generos divisa esset, res fortasse non tam aliena est ab usu Atheniensium, quamquam alia exempla mihi praesto non sunt.

Concedendum autem est has res eo difficilius esse cognoscere, quod femina mortua est, priusquam bona dispertita sunt, ita ut intelligere nequeamus, quae conditio mulieris futura fuerit post bonorum divisionem.

Polyeuctus igitur, si mecum facis, testamento constituit, ut uxor a *χυρίοις* adiuta hereditatem administraret, ne Spudias aut actor, ut fieri poterat, in singularum rerum possessionem ingrederetur, antequam hereditas addicta aut divisa esset; socrus autem haud ita prudenter egit, cum generis de hereditate non divisa hoc vel illud daret.

Sequitur, ut qualia sint τὰ γράμματα a muliere relictā quae-ramus; atque recte monuit Schulin l. s. p. 11¹⁾ Spudiam duas illas minas non debere Polyeucti uxori, sed Polyeucto ipsi. Sed cum inde efficiat τὰ γράμματα esse syngraphas (Schuldscheine), quae fuerint in uxoris possessione, censere videtur has syngraphas non mulieri sed Polyeucto ipsi datas, ab illa tantum adservatas esse. At duodeviginti minas femina post Polyeucti mortem dedit mutuas neque igitur fieri potuit, ut Polyeuctus hoc de debito syngrapham Spudiae acciperet; sed ne de duabus quidem illis minis sibi debitis syngrapham Spudiae Polyeuctus reliquisset videtur, quae venisset in uxoris possessionem, nam obstant verba § 22: ἐνῆσαν μὲν γὰρ αἱ δύο μναὶ . . . καὶ οὐ μόνον ὁ Πολύευκτος ἀποθνήσκων ταύτας ἐνεκεκλήκει, quae verba ita intellegenda esse puto: inerant duae illae minae (ita ut uxoris quoque testimonio debitum extare confirmetur) neque solus Polyeuctus moriturus eas petiverat.²⁾ Quae conclusio sensu careret, si vidua syngrapham Polyeucto a Spudia datam tantum adservasset.

¹⁾ „Daraus geht deutlich hervor, daß . . . von Spudias ausgestellte Schuldscheine gemeint sind, die sich im Besitze der Frau des Poly-eukts befanden.“

²⁾ cf. Schaefer l. s. VII p. 59: non solum Polyeuctus in mortis articulo testatus erat duas illas minas sibi a Spudia deberi, sed res etiam e tabulis ab eius uxore relictis apparuit.

Sed cum veri non sit simile Spudiam viduae syngropham dedisse de pecunia, quam debuit Polyucto, nos omnino adsentientes non habet Schulin, cum censeat τὰ γράμματα esse syngrophas. Qua de sententia ut dubitemus eo magis commovemur, quod Demosthenes de his γράμμασι haec narrat: ἀμφότεροι παρόντες ἀνοίξαντες ἀντίγραφά τ' ἐλάβομεν, καὶ πάλιν κατασημνημένοι παρ' Ἀριστογένοι κατεθέμεθα, § 21; ἐνῆσαν μὲν γὰρ αἱ δύο μναὶ — ἐνῆσαν δ' αἱ χιλίαι καὶ ὀκτακόσιαι, § 22; πᾶσιν δημολογῶν τοῖς γεγραμμένοις, § 22; quae verba non videntur significare syngrophas, sed credibile est alia quoque nomina commemorata fuisse in scriptis: videtur igitur indicari Polyucti uxorem reliquisse scripta, in quibus rationes bonorum a Polyucto relictorum et ab ea ipsa administratorum confectae erant. Quod si probamus, mirabile non est, quod inter alia nomina etiam in tabulas relatae sunt duae illae minae a Polyucto Spudiae mutuae datae neque dissolutae.

Neque quisquam contendat tales tabulas a muliere confectas tanti momenti non esse, quanti censet Demosthenes, nam considerandum est scripta cum a muliere mortua relicta tum a Spudia eiusque uxore agnita esse. cf. Dareste pl. civ. I p. 153; AP² 869 adn. 282.

In primis autem monendum est, ne quis opinetur viduam testamentum fecisse aut legata scripsisse. cf. Schulin p. 11, de quo rettulit Beauchet II 365; Lipsius AP² 592, adn. 290; de legatis cogitaverant Bunsen l. s. p. 57; Gans, Das Erbrecht in weltgeschichtl. Entwicklung I 1824 p. 389; Buermann, Berl. Philol. Wochenschr. V 1885 p. 592 hunc locum respexisse videtur, cum haec exponeret: „Ein ähnliches Zurückbleiben des Rechts hinter der realen Entwicklung der Verhältnisse liegt vor, wenn Frauen trotz ihrer gesetzlichen Unmündigkeit Legate aussetzen“, nam de hac re adferri solent hic locus et Dem. XXXVI, 14.

Sed alia inest in his versibus difficultas; legimus enim scriptum in § 9: ἤν μὲν γὰρ τὸ ἀργύριον παρὰ τῆς Πολυεύκτου δεδανεισμένος γυναικός, γράμματα δ' ἔστιν ἃ κατέλιπεν ἀποθνήσκουσ' ἐκείνη, μάρτυρες δ' οἱ τῆς γυναικὸς ἀδελφοὶ παρόντες ἅπασιν καὶ καθ' ἕκαστον ἐπερωτῶντες, ἵνα μηδὲν δυσχερὲς ἡμῖν εἴη πρὸς ἀλλήλους. Quibus cum verbis velim conferas legem ab Isaeo X, 10 servatam: ὁ νόμος διαρρήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν¹⁾, quam legem

¹⁾ cf. Harpocr. s. v. *δι παιδὶ* . . .; (Phot. et Suid. s. iisd. v. v.) schol. ad Aristoph. Eccles. v. 1025; Balabanoff suspicatus est l. s. 29 adn. 1 ad eandem legem referenda esse verba huius orationis: οὐδὲ ταύ-

ita interpretamur, ut seiungamus liberos a mulieribus: illis enim contrahere omnino non licet, hae contrahere possunt, si, quod contrahunt, ultra medimnum hordei non egreditur, cf. Lipsius in Bursian. Jahresber. II (1873) p. 1404; Schulthess 103; Beauchet II, 208; Wenger 170 adn. 2.

Maiora negotia quae mulieres contrahunt, eis tutore aut tutoribus opus est. Atque quaestio exoritur, utrum hoc loco *κυρίων* viduae mentio fiat, nec ne; nam sunt qui censeant, ad *κυρίους* spectare verba *οἱ ἀδελφοὶ παρόντες ἅπασι καὶ κατ' ἕκαστον ἐπερωτῶντες, ἵνα μηδὲν δυσχερὲς ἡμῖν εἴη πρὸς ἀλλήλους*, sunt qui hoc negent. Ab his incipiamus: inter se consentientes negant quidem *κυρίους* commemorari, sed contraria inde colligunt; partim enim arbitrantur „oratore breviloquentia usum esse, cum stipulatio non a muliere ipsa, sed ab huius *κυρίῳ* facta esset“, van den Es p. 161¹⁾; cf. Platner II 274: „Ist nun gleich die auctoritas des Gewalthabers dabei nicht erwähnt, so läßt sich doch das nicht als Beweis geltend machen, daß dieselbe bei einem solchen Rechtsgeschäft überhaupt nicht erforderlich gewesen“; partim suspicantur viduam a nullo tutore adiutam negotium ipsam egisse, cf. Meier AP² 564 adn. 237: „Als Beispiele von Verhandlungen mit einer Frau ohne Zutreten ihres *κύριος* könnte man anführen Dem. g. Spud. 9.“ Ad cuius sententiam accedit Lipsius (cf. quae addidit in AP² ad l. s.), cum iudicet verbis illis indicari fratres viduae non munere *κυρίων*, sed testium fungi. Quod vero ibi de hoc uno loco expositum est, Balabanoff p. 34 generaliter sibi statuendum esse putavit: Athenienses ita ab illa lege discessisse, ut mulieribus liceret se obligare sine tutoribus, viris testibus tantum adhibitis. Sed neque id exemplum, quod firmissimum argumentum esse ei videtur²⁾, quicquam valet, neque suo iure contendit nulla nisi sua interpretatione hunc orationis locum recte explicari.

Namque nos cum eis facimus, qui ab altera parte stantes pro

τις ἀξιοὶ συμβαλέσθαι τὸ μέρος, § 11; sed nescio, qui hoc fecerit, nisi verba perperam intellexit.

¹⁾ quam sententiam comprobatur Lewy de civili condicione mulierum Graecarum, diss. Vratislav (1885) p. 6 adn. 2.

²⁾ Aristoph. Eccles. v. 446 ff.

*ἔπειτα συμβάλλειν πρὸς ἀλλήλας ἐφη
ἱμέτια, χρυσί', ἀργύριον, ἐκπώματα
μόνας μόνας, οὐ μαρτύρων ἐναντίον, —*

mirabilia de hoc loco Balabanoff exposuit, cuius errores refutare operae pretium non est; hic est contextus: mulieres testibus non adhibitis fidem inter se servant, cum virorum, etiamsi testes adhibent, alter alterum decipiat. Unde colligi non potest mulieres reapse, ut negotium fieret ratum, testes adhibere potuisse; cf. van Leeuwen in edit. Eccles. p. 64.

vero habent verba *παρόντες κτλ.* referenda esse ad fratres ut viduae *χυρίους*; at fratres non ipsi contraxerunt, sed sorori contrahenti auctoritatem praestiterunt; cf. Dareste pl. civ. I 165; Hruza 51 adn. 10; Beauchet II 355, 362, 369. Atque quod hi probaverunt, multo mihi veri videtur esse similis, postquam accuratius comperimus, quae fuerint conditiones mulierum Aegyptio-Graecarum, ut hoc verbo utar. Quae feminae aut ipsae contrahunt a nullo tutore adiutae, aut se obligant, cum tutor adsentiens praestet auctoritatem (quod vocant *μετὰ χυρίον*), aut *χύριος* pro eis contrahit (*διὰ χυρίον*); quando autem hoc, quando illo modo mulieres negotia transegerint, adhuc non patet. cf. Wenger, Stellvertretung pp. 173 sqq., 186.

Quamquam autem concedendum est, in fontibus Atticis voces ipsas *διὰ χυρίον* et *μετὰ χυρίον* non occurrere, tamen ex eis hoc discrimen cognosci posse videtur, ut paullo post videbimus.

Antea nobis demonstrandum est verbis *παρόντες κτλ.* nos non impediri, quominus censeamus Polyucti viduam *μετὰ χυρίων* pecuniam mutuum dedisse. Ac primum quidem negamus disertis verbis scriptum legi fratres testes fuisse, nam actor cum dicat *μάρτυρες δ' οἱ τῆς γυναικὸς ἀδελφοί* non dicit fratres testes fuisse, cum soror contrahebat, sed fratres in iudicio iam testaturos esse se tum adfuisse. Miretur autem quispiam, quod additum est *ἵνα μὴδὲν δυσχερὲς ᾗμῖν εἴη πρὸς ἀλλήλους*, nam si *χύριοι* adesse debebant, ut mulieri liceret contrahere, fieri non posse, ut diserte eos alia de causa adfuisse addatur: si adesse debent, in censum non venit, quod fratrum fuerit consilium. Quae res ne offensionis ansam praebeat, haec verba tantum referamus ad ea, ex quibus pendent: *καθ' ἑκάστων ἐπερωτῶντες*; actor igitur his verbis demonstrare studet *χυρίους* non solum auctoritatem praestitisse, sed etiam omnibus in rebus maximam diligentiam adhibuisse; quod ei monendum est, ne Spudias contendat socrum falso hoc nomen in tabulas rettulisse. Deinde velim respicias vocem *ἐπερωτῶν*: nonne melius quadrat ad *χυρίους* quam ad testes? Testium enim non est quaerere, quid fiat; eis omnia ostenduntur, nam vocantur, ut omnia videant. Vox *παρεῖναι* autem usitatissima¹⁾ est, si agitur de *χυρίοις*, neque quisquam dubitaret, quomodo verba essent intellegenda, si legeremus *παρόντες τῇ γυναικί*; verbo *ἅπασι* addito sensum quodammodo obscurari non negemus.

Denique magni momenti est, quod *οἱ παρόντες* sunt fratres

¹⁾ e. g. J. G. VII (= C. J. G. Gr. sept. I) 3172 VI (A) lin. 2 *παρόντος αὐτῇ χυρίον τοῦ ἀνδρός*, sim. ib. 3322, 3; 3326, 3; 3327, 2; 3330, 6: *παρόντος αὐτῇ τοῦ ἀνδρός, παρόντος αὐτῇ τοῦ πατρὸς, παρῇν Παραμόνα δ' ἀντήρ*.

viduae, nam fratres marito sororis mortuo eius *κύριοι* esse solent, si neque pater neque filii adulti extant. Neque desunt alia vestigia, quibus nisi suspicemur fratres — praecipue Aristogenem — sororis *κύριος* esse: Aristogenes adfuit, cum Polyuctus moriturnus Spudiam sibi duas minas debere profiteretur (§ 8), Aristogenes Spudiam de testamento a Polyucto facto certiolem facit (§§ 18, 19), apud Aristogenem τὰ γράμματα obsignata deponuntur (§ 22). Quae omnia non casu facta esse videntur, sed quod Aristogenes (verisimiliter una cum Leocrate aut aliis fratribus) sororis *κύριος* erat. Ut *κύριοι* igitur etiam adfuerunt, cum illa pecuniam mutuum daret.

Quo in loco interpretando non sine causa morati sumus, nam ex hoc solo aliqua quidem ex parte cognosci potest, quae fuerit conditio *κύριον* mulierum Atticarum, quoad spectamus feminarum ius contrahendi, nam qui praeterea adferuntur loci partim quod e comediis sumpti sunt, partim aliis de causis idonei non sunt ad has quaestiones diiudicandas. cf. van den Es p. 158 sqq.; Beauchet II 354. Eo magis autem dolendum est, quod ne hic quidem res ita traditae sunt, ut omnes dubitationes tollantur.

Si recte exposuimus de verbis tractatis, lex ab Isaeo commemorata Demosthenis aetate ita valuisse videtur, ut mulieres negotia, quae unius medimni hordei pretium excederent, *μετὰ κύριον* contraherent. Num antea feminae eadem negotia *διὰ κύριον*, non *μετὰ κύριον* transegerint, nescimus, sed verisimile videatur, nam illa lege mulieres cum liberis plane aequantur — velim omittas, quod liberis omnino non, mulieribus *πέρα μεδίμνον κριθῶν* contrahere non licet —, liberi autem certe *διὰ κύριον* contrahunt. Quibus de rebus iudicium proferre eo difficilius est, quod voces *διὰ κύριον* et *μετὰ κύριον*, ut diximus, apud Athenienses non inveniuntur. Attamen res ipsas novisse videntur: mulier *διὰ κύριον* in matrimonium datur, cf. Hruza p. 52; Beauchet I 133, II 371; mulieris causae apud indices *διὰ κύριον* aguntur, cf. Hruza l. s.; Beauchet II 371 sqq., Wenger 126 adn. 2 et 8, qui omnes monent testimonia non deesse, quibus scrupuli moveantur; mulier, si recte iudicavimus, *μετὰ κύριον* negotia contrahit.

Ut summam faciamus: primo quidem omnibus in rebus *κύριος* pro muliere egisse videtur, paulatim eius potestas ita diminuebatur, ut feminae omnia *μετὰ κύριον* expedire possent (quod papyris demonstratur). Quarum rerum initium in Attica quidem factum esse videtur a mulierum iure contrahendi.

Neque solum pecuniam debitam, sed etiam alia quaedam a Polyucti uxore accepta Spudias in hereditatem inferre recusat

c) phialam, *σφηγήν*, alias res.

1. phialam illam Demophilo cuidam pignori dederunt, qui eam etiam nunc in possessione habere videtur. Agitur enim de pignore in manum tradito (Faustpfand): res oppignerata in creditoris possessione est, quamdiu debitum extat; cf. Hitzig pp. 94, 115. Atque una cum phiala Spudias *χρυσία* Demophilo oppigneravit, sed ea quoque a Polyucti uxore data esse et ab actore reposci ex Demosthenis verbis non cognoscitur, quin etiam, ne hoc putemus, impedimento sunt verba *οὐκ ἀνενηνόχασι κεχομισμένοι ταύτην*; qua de re erraverunt Caillemier Le droit de success. légit. à Athènes 1879 p. 200, quem sequitur Beauchet III 650; Naber in Mnemosyn. vol. XXXII (1904) p. 11.

2. *σκηνήν* acceperunt: cuius vocis quae notio sit, non constat Harpocratio s. v. *σκηνή* adnotat: *ἔοικε δὲ σκευὸς τι εἶναι, ὅπερ οἱ μὲν κόσμον τινὰ γυναικείον εἶναι φασιν, οἱ δὲ σκιάδειον.* cf. Photium s. eod. v. et Etym. Magn. p. 716, 53; similia Bekker anecd. I 303: . . . *οἱ δὲ εἶδος κόσμον γυναικείον, οἱ δὲ σκευὸς τι οὕτω καλούμενον.*¹⁾ Naber autem lexicographis fidem denegat l. s.: „Mihi crede: Harpocratio non magis norat, quid esset *σκηνή*, quam tu vel ego“, in primis quod *σκευήν* (quam mutationem per se satis lenem proposuit) Demostheni esse reddendam sibi persuasit. Nobis non videtur esse, cur mutemus quod traditum est, praesertim cum lectio *σκευή* eis argumentis, quae adfert Naber, non comprobetur.²⁾ „Ex contextu satis apparet de mundo muliebri hic sermonem fieri.“ Nescio unde hoc cognoverit. „Rem confirmabit argumenti auctor; etenim actor *ἐπιδείκνυσιν ὡς Σπουδίας ψεύδεται*: *τὰς μὲν γὰρ τριάκοντα μνᾶς αὐτὸν ἐν ἀργύρῳ φησὶ λαβεῖν, τὰς δὲ δέκ' ἐν ἱματίοις καὶ χρυσίοις, ἃ καὶ πλείονος ἢ δέκα μνῶν εἶναι ἄξια.*“ argum. § 2. Quae verba petita sunt ex § 27, sed illa *ἱμάτια* certe non referenda sunt ad hanc *σκευήν* Nabero probatam: illo loco actor demonstrat *τὰ ἱμάτια* Spudiae doti esse addita; quomodo fiat, ut hoc loco postulet, ut eadem *ἱμάτια* conferantur in hereditatem? Itaque retinemus vocem *σκηνήν*, quamquam, quid significet, non plane apparet.

3. multas alias res: quae ne nullae sint, timeo; nam actor libentissime exempla cumulare, si fieri posset.

Atque sunt qui phialam, *σκηνήν*, ceteras res commemoratas

¹⁾ umbraculum voce *σκηνή* significari iudicant Schaefer in ed. Lond. VII p. 59; Scherling: de vocis *σκηνή* quantum ad theatrum Graecum pertinet significatione et usu, diss. Marburg. 1906 p. 7. — De veste mutata *σκηνήν* invenimus apud Nicephorum Basil., Walz rhet. Gr. I p. 427 l. 20 et 428 l. 15.

²⁾ Post Naberum coniecit *σκευήν* eisdem causis permotus Richards Class. Rew. XIX (1905) p. 200.

Spudiae dono datas esse arbitrati ex his versibus efficiendum esse censeant dona, quae singuli heredes futuri ante testatoris mortem acceperint, illo mortuo in hereditatem esse conferenda; Bunsen p. 85; Caillemet, *droit de succ.* p. 200, Beauchet III, p. 650. Sed neque ex hoc loco patet res, quae in censum veniunt, dono datas esse, nam ex verbis *μιάλην μὲν γὰρ λαβόντες παρὰ τῆς Πολυεύκτου γυναικὸς* et *σκηρὴν δ' ἔχουσι*, quibus conditionibus res datae sint, non cognoscitur,¹⁾ neque is ipse, qui hereditatem reliquit, res dedit, sed uxor eius aut vidua. Ponamus res dono datas esse: fortasse conferendae sunt, quod Polyeucli vidua hereditatem nullo modo diminuere poterat, quippe quae non eius dominium sed usum fructum et administrationem haberet, non quod omnia a testatore ipso data reddenda sint.

Neque Beauchet l. s., ut suam sententiam confirmaret, debebat laudare Lipsium AP.² 602 adn. 322, ubi nihil de donis. Nihil obstat quominus putemus viduam res Spudiae ita dedisse, ut ipsa mortua in hereditatem redderentur, aut quidem actorem causam ita sibi fingere.

C.

Transgrediamur ad tertium crimen: Actoris uxor, fortasse quod ex filiabus Polyeucli maior natu erat, die festo, quem vocant *τὰ Νεμέσια*,²⁾ patri defuncto ita parentavit, ut unam minam consumeret. Quod cum faceret, sororem dimidium pecuniae reddituram esse confisa est, sed Spudias eiusque uxor, ne hanc partem solvant, recusant. Qua de re ut iudices faciat certiores, actor multo minus laborat, quam de ceteris criminibus: in ea parte orationis, qua probationibus artificialibus, quas dicunt, se suo iure Spudiam in ius vocasse demonstrare studet, ad hanc rem nullo verbo redit. Neque hoc mirabile, nam nihil firmare potest, nisi uxorem re vera pecuniam in patris honorem impendisse. Sororem autem dimidium reddituram esse Spudia non renuente actor et uxor speraverunt, sed nulla hac de re pactio exitisse videtur. Nescio an etiam

¹⁾ cf. Guiraud, la propr. fonc. p. 230: le texte (sc. huius loci) ne parle pas d'une donation en règle.

²⁾ *τὰ Νεμέσια* non commemorantur nisi hoc loco; quod lexicographi s. hac voce exponunt, hinc hausisse videntur; cf. Harpocr., Suid., Bekk., anecd. I 282; plerique docent *τὰ Γενέσια* ab his nomine tantum diversa esse: Schoemann-Lipsius, *Altertümer* II⁴ 497; Petersen in *Jahrb. f. klass. Philol.* vol. suppl. II 1856/57 p. 345; August Mommsen: *Feste der Stadt Athen* 1898 p. 172 adn. 4; Lécrivain apud Daremb.-Sagl. s. v. natal. dies, adn. 13; alteram autem sententiam sequitur Rohde: *Psyche* I² 236 adn. 1, ad quem accedit Stengel, *Die griech. Kultusaltert.*² (1898) p. 200 adn. 9.

paucis his verbis iudices ad actoris partem perducantur, quippe qui iusto iure fieri putent, ut filiae Polyeucti eisdem conditionibus in hereditatem vocatae aequis partibus patri parentent; cf. AP.² 601. Attamen nemo neget, stricto iure actoris causam haud ita bonam esse, cum eius uxor minam impenderit neque ei cum sorore convenerit de parté reddenda.

Hoc actoris crimen cum ceteris non arcte cohaeret; initio enim orationis, quibus de causis lis intenta sit, actor dicit: ἀναγκάζομαι πρὸς τοῦτον περὶ τῶν καταλειφθέντων δικάζεσθαι, et re vera, quae Spudiae crimini dat, hac re omissa hereditatem spectant: ut mercedes ex domo oppignerata cogere sibi liceat, i. e. ut Spudias debitum decem miniarum ex hereditate solvendum esse confiteatur, deinde ut nonnulla nomina, quae Spudias debet hereditati, conferantur. Sed quod terito loco Spudiae opprobrio dat, ad hereditatem non pertinet: Spudias semiminam debet actori ipsi, non hereditati. Actor igitur hoc crimen ceteris adiunxit, non quo ageretur de eadem hereditate, sed quod omnia in medium proferre volebat crimina, quandoquidem adversarium in iudicium vocaverat.

De ratione inita in §§ 27, 28.

Postquam autem crimina enarravit probationibusque et inartificialibus et artificialibus firmavit, ipse orationi finem imponi posse concedit; § 25. Attamen ad primam querelam, quae est de domo oppignerata, rediens hanc sibi in primis curae esse patefacit: Spudias contendet se ipsum dotem triginta minarum accepisse itaque actori triginta minis acceptis non licere adfirmare Polyeuctum decem minas debuisse. Quibus obiectionibus ut obloquatur, actor rationem subducit, qua demonstret Spudiam non triginta sed quadraginta, quin etiam plus quadraginta minas accepisse. At nescio an ipse parum sibi fidat, nam priusquam accedit ad rationem ineundam, exponit Polyeucto licuisse alteri filiae maiorem, alteri minorem dotem dare, penes Spudiam autem fuisse filiam in matrimonium non ducere exornatam minore dote. Ceterum concedit Spudiam pecuniae paratae non plus triginta minas accepisse; neque tamen eum detrimentum cepisse ratione subducta probare studet; § 27. Quam ut recte intellegas, velim haec consideres: pater qui filiam despondet, dotem dare solet et praeter dotem saepius dona nuptialia; dona in mariti dominium veniunt, de dote ipsa fructus percipit; matrimonio soluto dona apud maritum remanent, dos reddenda est. Fieri autem potest, ut dona doti accenseantur et pareant legibus, quae sunt de dote (ἐντιμᾶσθαι ἐν προικί); velut ἱμάτια καὶ χρυσία aut donodantur aut doti adnumerantur. cf. Schoemann ad Is. p. 206; Thallheim R.-A.⁴ p. 76, adn. 6; Beauchet I, 283; atque eadem res

inveniuntur in papyris: Wessely, Studien über das Verh. des griech. zum äg. Rechte in Sitzungsber. der Ak. der Wissensch. in Wien CXXIV (1891) p. 60.

Huc pertinent quae actor hoc loco explicat: filia a Spudias ducta ex matrimonio priore cum Leocrate contracto mundum et vestes secum tulit, quae plus valent decem minas. Neque hae res, ut Spudias contendit, in donis nuptialibus praeter dotem missis numerandae sunt, sed in dote a socero data. Namque si quis comparabit ea, quae actori dono data sunt, cum eis rebus, quas Spudias accepit, eadem fere esse cognoscet, si vestes illas et mundum Spudiae doti accensa, non dono data esse censebit. Spudias igitur res ita computandas esse contendit:

Spudias accepit: $\underbrace{30 \text{ minas}}_{\text{dotem}} + \underbrace{\text{mundum} + \text{dona}}_{\text{dona nuptialia}};$

actor accepit: $\underbrace{30 \text{ minas}}_{\text{dotem}} + \text{dona nupt.};$

iniuria poscit 10 minas, tamquam dotis debitam partem.

Actor autem res ita describit:

Spudias accepit: $\underbrace{30 \text{ minas} + \text{mundum} 10 \text{ minarum}}_{\text{dotem } 40 \text{ minarum}} + \text{dona nupt.};$

actor accepit: $\underbrace{30 \text{ minas}}_{\text{dotem } 30 \text{ minarum}} + \text{dona nupt.};$

suo igitur iure petit 10 minas, quibus dos compleatur.

Quae ratio, quamvis sit implicata, tamen in universum dilucida est; sed insunt nonnulli loci, qui digni esse videntur, quos accuratius tractemus: incipiamus a verbis $\delta\sigma' \acute{\epsilon}\chi\omega \mu\acute{o}\nu\omicron\nu$, quae mendosa esse censet Wolfius apud Dind. l. s. p. 1179: „sed fortassis in hac obscuritate $\pi\alpha\nu\acute{o}\upsilon\rho\eta\gamma\mu\acute{\alpha} \tau\iota \delta\eta\tau\omicron\rho\iota\kappa\acute{o}\nu \acute{\epsilon}\mu\phi\omega\lambda\acute{\upsilon}\epsilon\iota$.“ Quod veri speciem non habet, nam cur Demosthenem, qui rationem satis probabilem iniit, hac in re minore, qua contextus obscurari non potest, consulto verbis minus perspicuis usum esse arbitremur? Neque magis probamus, quod proposuit Reiskins eod. l.: verba paullo insolentius traiecta ita in constructione esse ordinanda, ut $\mu\acute{o}\nu\omicron\nu$ coniungatur cum $\pi\alpha\rho\alpha\pi\lambda\acute{\eta}\sigma\iota\alpha$; $\mu\acute{o}\nu\omicron\nu$ autem subicere hanc sententiam: $\mu\acute{o}\nu\omicron\nu \pi\alpha\rho\alpha\pi\lambda\acute{\eta}\sigma\iota\alpha, \acute{\alpha}\lambda\lambda' \acute{o}\upsilon \pi\omicron\lambda\acute{\upsilon} \pi\lambda\epsilon\acute{\iota}\omega, \acute{\omega}\rho\pi\epsilon\rho \varphi\eta\sigma\acute{\iota} \Sigma\pi\omicron\nu\delta\acute{\iota}\alpha\varsigma$. Denique Blass att. Bereds. III, 1², p. 252 adn. 3 loco, quem

depravatum esse putat, hunc fere in modum medicinam faciendam esse censet: ἐγὼ δ' ἄπερ ἐπεμψέ μοι χωρὶς τῆς προικός, [δός] ἔχω μόνον, (ᾧ) πρὸς τὰ τοῦτω δοθέντ' κτλ.¹⁾ Neque tamen habere videmur, cur verba tradita mutemus. Contendit enim actor se dona tantum accepisse, quae dona esse aequalia donis Spudiae, non illius donis et mundo muliebri, id quod ille adfirmare studet. Neque anacoluthum, quod vocant, intolerabile videtur.

Deinde uberius explicanda sunt verba χωρὶς τῶν εἰς τὰς χιλίας ἀποτιμηθέντων. Quibus quid in universum indicetur, ex ratione inita planum fit: dona quae uterque gener a Polyucto accepit, aequalia sunt omisso illo mundo muliebri, quem Spudiae uxor secum tulit. Neque dubium est, quin recte iam Schaefer l. s. VII, p. 62 contra Reiskium monuerit de solo mundo cogitandum esse, non de mundo et de domo oppignerata — quae domus in tota ratione in censum omnino non venit. Qui mundus significatur verbis τὰ εἰς τὰς χιλίας ἀποτιμηθέντα. Alio autem loco (Dittenb. Syll.² n. 827) legimus: οἰκίαι ἀποτιμημέναι εἰς τὴν προῖκα, i. e. domus, quae in dotis securitatem pignori datae sunt, sed haec vocis ἀποτιμᾶν notio, quin ad hunc locum non quadret, nemo est qui dubitet. Nostra sententia ἀποτιμᾶν hic eodem sensu usurpatum est, quo saepe adhibetur simplex τιμᾶν, rarius ἀποτιμᾶν; cf. Herodot V, 77 ἔλυσάν σφας δήμεως ἀποτιμησάμενοι; Dem. XVIII [106] ἐὰν δὲ πλείονων ἢ οὐσία ἀποτιμημένη ἢ χρημάτων. Quod hoc loco vox coniuncta est cum praepositione εἰς, non cum genitivo pretii, arbitror offensionem non esse, quamquam exempla quibus hunc usum probem adferre non possum.

Atque Lipsius adnotavit ad hunc locum AP.³ 516 adn. 103: „τὰ εἰς τὰς χιλίας δραχμὰς ἀποτιμηθέντα von dem in die Mitgift eingerechneten ist überliefert Dem. g. Spud. 27“. Quod verum est, nam verba pertinent ad mundum, qui mundus secundum actoris rationem quidem doti Spudiae accensus est, sed hisce ipsis verbis nihil indicatur nisi mundum muliebrem decem minis aestimatum esse.²⁾ Qua in re praecipue obloquimur Darestio pl. civ. I, 163, qui ita vertit verba „déduction faite de ceux qui avaient été compris pour mille drachmes dans la constitution de dot faite à Leocrate.“ Nam Leocratis doti nostra sententia τὰ ἱμάτια καὶ χρυσία nunquam adnumerata sunt. Quod ut demonstremus,

¹⁾ huius mutationis propositae iam in att. Bereds. III, 1¹ (1887) p. 221 adn. 5 Blass ipse in editione Demosthenis (1889) mentionem non facit.

²⁾ locum tractatum laudat, non explicat Lutz: Die Präpos. bei den att. Rednern. Progr. Neustadt a. d. H. 1887 p. 21.

uberius nobis disserendum est de duobus illis locis, quibus Demosthenes harum rerum mentionem facit:

§ 27: ὁ μὲν γὰρ Σπουδίας ὦ. ἀ. δ. παρὰ τοῦ Λεωκράτους ἔχουσαν τὰ χρυσία καὶ τὰ ἱμάτια τὴν γυναικ' ἔλαβεν, ὣν ὁ Πολύευκτος προσapéτεισε (v. l. προσapeτίμησε) τῷ Λεωκράτει πλεῖν ἢ χιλίας. — Προsapέτεισε:¹⁾ F. Q. cet. codd. Σοmiss.; Blass in ed.; Lipsius AP.² 516 adn. 103; May, Neue Philol. Rundsch. XXII (1902) p. 123; προσapeτίμησε Σ et γρ. F. Q.; Wolfius, Schaefer, Baiter-Sauppe, Dindorf in edd.

§ 28: ὥστ' εἰκότως ἐν ταῖς τετταράκοντα μυαῖς ἐνετιμᾶτο ταῦθ', ἅπερ ἀπετετεῖκει¹⁾ (ἀπετετεμῖκει) τῷ Λεωκράτει. — ἀποτετεῖκει Σ; ἀπετετεῖκει cet. codd.; ἀπετετεμῖκει Schaefer, Dindorf.

Quaestionis cardo versatur in verbis προσapéτεισε (προsapετίμησε) et ἀπετετεῖκει (ἀπετετεμῖκει). Nemo autem est, qui neget alterum locum ad alterum spectare; unde non sequitur ambobus locis idem verbum a Demosthene adhibitum esse, sed constat fieri non posse, ut altero loco alterius sensus turbetur.

Atque qui probant § 27 lectionem προσapeτίμησε, res ita intellegunt: Polyuctus ornamenta a se ipso filiae data mille drachmis aestimata Leocratis doti addidit, cum ei ut filio adoptivo filiam in matrimonium daret; Wolf l. s.; Barrilleau de la const. de dot p. 166, idem bull. de corr. hell. VI (1882) p. 599; Dareste pl. civ. I, p. 162/63; Beauchet I 290.²⁾ Quam sententiam ut impugnemus, his causis permovemur: haud ita multum valet quod legimus Σπουδίας παρὰ τοῦ Λεωκράτους ἔχουσαν τὰ χρυσία καὶ τὰ ἱμάτια τὴν γυναικ' ἔλαβεν, nam παρὰ τοῦ Λεωκράτους aut ad ἔχουσαν aut ad ἔλαβεν referre licet. Sed accedit, quod veri non simile est Leocratem dotem omnino accepisse, cum duceret sororem adoptivam; cf. p. 5. Deinde si voce προσapeτίμησε significaretur, quod illi contendunt, nonne exspectaremus actorem dixisse ἃ Πολ. προσapeτίμησε τῷ Λεωκρ. πλέονος ἢ χιλίων, non ὣν προσapeτίμησε πλεῖν ἢ χιλίας? Denique ne hoc quidem omittamus: qui hoc loco praeferunt ἀπετίμησε altero loco scribere debent ἀπετετεμῖκει, quamquam omnes codices exhibent ἀπετετε(ε)ίκει; nam verba προσapeτίμησε — ἀπετετεῖκει inter se pugnarent: mundus in dotem numeratus a Leocrate utique restituendus erat, postquam matri-

¹⁾ in aoristo et plusquamperfecto verbi τίνειν praeferendae sunt formae, quae praebent *ει*; cf. Meisterhans Grammatik der att. Inschr.³ p. 180 adn. 1495c et 1421 adn. 1521.

²⁾ Beauchet l. s. dotem Leocratis cum Spudiae dote confudisse videtur; cf. quae de eius sententia exposuimus p. 5.

monium solutum est; Polyuctus igitur non habebat, cur ei decem minas solveret.

Quae difficultates omnes e medio tolluntur, si in § 27 vulgatam, in § 28 omnes codices secuti scribimus *προσαπέτεισε* ^{—1)} *ἀπετείνει*, quorum locorum haec est sententia: praeter alia (quod indicatur praepositione *πρός*) Polyuctus Leocrati divortio facto persolvit decem minas, ut restitueret, quod filia ab illo acceperat et ex matrimonio soluto secum abstulerat. Quae vero fuerit natura horum donorum, qua occasione filia Polyucti *τὰ χρυσία καὶ ἱμάτια* a marito acceperit, diiudicari nequit: cogitandum videtur aut de donatione propter nuptias, quam vocant, aut de donatione inter maritos, quamquam viri docti adfirmant neque huius neque illius donationis exemplum in fontibus Atticis inveniri, quod ullius sit momenti; cf. Mitteis Reichs- und Volksr. 272 sqq.; Beauchet III, 137; Ziebarth apud Pauly-Wiss. s. v. *δόσις* n. II. Sed quoquo modo haec se habent: pretium accipit Leocrates, postquam matrimonium solutum est, pro eis rebus, quas uxori donaverat.

Quae actio intenta sit.

Quoniam de causa ipsa exposuimus, quae videbantur exponenda, sequitur ut quaeramus, quae actio ab actore Spudiae intenta sit. Atque cum in libris manu scriptis oratio inscripta sit *πρός Σπυδῖαν ὑπὲρ προικός*, non desunt, qui censeant *δίκην προικός* esse instructam; Dareste pl. civ. I 152; Barrilleau constit. de dot l. s. p. 146; satis caute Meier AP.² 522: „ist indessen aus der Überschrift der Rede gegen Spudias etwas zu folgern, so möchte ich behaupten, dass auch dieser Fall als Klage *προικός* vor dem Archon behandelt wurde“, fidentius eod. l. p. 484. Sed hanc sententiam probandam non esse, his temporibus constat. Aristoteles in rep. Athen. 52, 2 hanc actionum *προικός* definitionem dedit: *ἐάν τις ὀφείλων μὴ ἀποδῶ*, quam ad definitionem non facile quadrant, quae hac in causa exponuntur; cf. Lipsius, Berichte der Sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1891, p. 57 adn. 1. Quo accedit, quod ad unum crimen actoris pertineret *δίκη προικός*, non ad cetera (quae sunt de rebus in hereditatem inferendis et de semimina solvenda). Thalheim, Progr. 1892, p. 9. Firmissimum autem argumentum supra p. 16 iam adtulisse nobis videmur: ad arbitrum publicum causa delata est, itaque *δίκη ἔμμηνος* intenta non est,

¹⁾ qui factum sit, ut librarius egregii codicis Σ scriberet *προσαπέτιμης*, facile est intellectu: paullo ante scripsit *ἐνετιμᾶτο*, in prioribus orationis partibus saepissime *ἀπετίμης*, *ἀποτιμῶμαι*, alia.

nam hae actiones ad arbitrum publicum non veniunt; *δίκαι προικός* autem in *ἐμμήνοις* numerandae sunt.

Quae cum ita sint, putandum est orationis inscriptione *πρὸς Σπυδιάν ὑπὲρ προικός* non significari genus actionis intentae, sed orationis argumentum; cf. Thalheim l. s.; Caillemet apud Daremb.-Sagl. s. v. dos p. 391; Beauchet I, 297. Atque quod is, qui orationem inscripsit, ceteris criminibus neglectis dotis tantum mentionem fecit, cum scriberet *ὑπὲρ προικός*, nihil habet offensionis, cum ab hoc crimine actor initium faciat orationis et in hoc in primis haereat. Similiter [Demosth.] oratio 7 inscribitur *περὶ Ἀλοννήσου*, quod primo loco agitur de Halonneso. cf. Schaefer Demosth. und s. Zeit II² 440; Blass, att. Bereds. III, 2^a p. 138.

Ex eis autem, qui dotis actionem instructam esse nobiscum negant, alii de aliis actionibus cogitaverunt: de *δίκη συμβολαίων παραβάσεως*¹⁾ Caillemet et Beauchet ll. ss., nisi verbis § 5: *τέως μὲν ὁ Λεωκράτης ἦν κληρονόμος τῶν Πολυεύκτου, πρὸς ἐκεῖνον ἦν τὸ συμβόλαιον*. Sed haec quoque actio ad primum tantum crimen quadraret, non ad cetera. Deinde Thalheim l. s. et apud Pauly-Wiss. s. v. *βλάβης δίκη* proposuit *δίκην βλάβης*, quippe quae cum omnia actoris crimina complectatur tum commendetur verbis § 12: *καὶ φήσει πάντα ταῦθ' ὅπ' ἐμοῦ πεισθέντας καταχαρίσασθαι, καὶ νῆ Δι' ἕτερα πολλὰ καὶ μεγάλα βλάπτεσθαι, καὶ δίκην εἰληχέναι μοι.*²⁾ („Die Worte enthalten geradezu einen Hinweis auf die genannte Art der Klage.“) Hanc actionem tam generalem esse, ut etiam hac in causa intendi potuerit, non negemus, sed ex voce *βλάπτεσθαι* firmum argumentum nequaquam sumi potest; nam caveamus ne putemus *δίκην βλάβης* esse instructam, ubicumque vox *βλάπτειν* occurrit; cf. quae Thalheim ipse exposuit apud Pauly-Wiss. l. s. Deinde ut Spudias actori hanc actionem intenderit; non sequitur actorem Spudiam eadem actione in ius vocavisse. Nonne vero, si Thalheimii sententiam probaremus, exspectaremus litem

¹⁾ haec actio rectius appellatur *δίκη συμβολαίων*; cf. Lipsius AP² 697 adn. 599, ad cuius sententiam Beauchet ipse accedit IV, 415 adn. 2.

²⁾ Etiam Spudias ad iudices confugit et actori litem intendit: *ἀντιγραφὴν*; cf. AP² 862. Atque actor nomen Spudiae prior detulisse videtur, nam huius causa iam ad arbitrum publicum pervenerat, cum Spudias profitetur se ipsum quoque litem instituisse: § 12 *ταῦτα γὰρ καὶ πρὸς τῷ διαιτητῇ λέγειν ἐπεχείρει*. Aliter iudicavit Schulze proleg. in [Dem.] or. adv. Apat. p. 19 „uter prior accusaverit, non constat“. Utramque causam separatim actam esse inde plane patet, quod actor Spudiam monet, ne in hac causa illius causae querelas et argumenta proferat. Minime autem actor prius intenta dilata est, quod Spudias *ἀντιγραφὴν* instituit.

institutam esse κατὰ Σπουδίου, non πρὸς Σπουδίαν?¹⁾ AP.² p. 204.

Nos ipsi censemus actorem in § 1 quomodo singulae querelae inter ~~se coniunctae sint~~ indicare: ἀναγκάζομαι πρὸς τοῦτον περὶ τῶν καταλειφθέντων δικάζεσθαι. De Polyucti hereditate lis exstitit, neque dubium est, quin de hereditate dividenda partes litigent. Quae cum ita essent, licebat eis intendere δίκην εἰς δαιτητῶν αἵρεσιν, de qua conferas Aristot. de rep. Athen. 56,6; AP.² 482 sqq.³⁾ Sed hanc actionem in censum non venire ex oratione apparet. Novimus igitur actionem fuisse πρὸς τινα, novimus eam intentam fuisse de hereditate dividenda, sed quod nomen ei demus, non habemus, neque ullum orationis locum idoneum esse putamus, qui nescio cui coniecturae fundamentum praebeat.

III.

De duobus orationis locis difficilioribus.

I. § 4: Διαφορᾶς γενομένης τῷ Πολυνύκτῳ πρὸς τὸν Λεωκράτη, περὶ ἧς οὐκ οἶδ' ὅ τι²⁾ δεῖ λέγειν, ἀφελόμενος ὁ Πολυεὐκτος τὴν θυγατέρα δίδωσι Σπουδίᾳ τρυφῇ. Μετὰ δὲ ταῦτ' ἡγανάκτει ὁ Λεωκράτης καὶ δίκας ἐλάγχανε Πολυνύκτῳ καὶ τρυφῇ Σπουδίᾳ.

Supra (p. 6) iam commemoravimus haec verba magni esse momenti, quod praecipue hoc loco commoti nonnulli viri docti falsum esse censuerunt, quod antea de κυρίῳ mulieris collocatae con-

¹⁾ δίκην esse πρὸς Σπουδίαν confirmatur cum inscriptione (quod haud ita multum valet) tum § 1: ἀναγκάζομαι πρὸς τοῦτον . . δικάζεσθαι. Harpocratio ter recte πρὸς Σπουδίαν: s. νν. ἐνετιμᾶτο, ὄρος, σκηλὴν; semel κατὰ Σπουδίον: s. ν. Νεμέσια.

²⁾ Lipsius AP² 603 de hac actione: Das Rechtsmittel, welches für den Fall von Differenzen über das Ob oder das Wie der Erbteilung zu Gebote stand.

³⁾ ὅ τι mutavit in εἴ τι Naber in Mnemos. vol. XXXII (1904) p. 10: „Rem novit quidem, sed mavult tacere de dissensionibus, quae nihil ad praesentem causam pertinent.“ Sed eundem sensum praebet ὅ τι; similiter saepius legimus apud Demosthenem: οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ πλείω λέγειν, ubi verba significant: plura addere opus non est; non: plura addi omnino non possunt; velut LIV, 44: πόλλ' ἂν εἰπεῖν ἔχοιμι — ἀλλ' οὔτε τὸ ὅδωρ ἱκανόν, οὔτε νῦν περὶ τούτων ὁ λόγος ἐστίν. — οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ πλείω λέγειν. cf. XXXV, 62; XXXVIII, 28; [LVIII], 57; al.

stare videbatur:¹⁾ eius *κύριον* esse maritum. Nam si hoc loco — contendunt illi²⁾ — Polyuctus filiam in matrimonium datam genero adimit, ipse filiae *κύριος* esse debet, non Leocrates maritus.

Sed nonne verba *ita interpretari possumus*, ut tantam potestatem patri non attribuamus? Quod ut impetrarent, alii iam operam dederunt, quorum argumenta examinanda sunt. Atque primum quidem ea tractabimus, quae nobis probabilia non videntur; sed velim consideres: quod argumentis demonstrare student, nos quoque pro vero habemus, sed argumenta ipsa displicent.

Cum Meiero autem nos non facere, qui suspicetur Polyuctum Leocrati filiam despondisse, sed in matrimonium non dedisse alias exposuimus (p. 6); iam aliam sententiam examinemus, quam pluri commendant: Leocrates Polyuctum in ius vocavit: ergo iniuria Polyuctus ei filiam abripuit, non quod *κύριος* esset.³⁾ Non recte hoc modo difficultates tolli censemus, nam obstant verba *μετὰ δὲ ταῦτ' ἡγανάκτει θ' ὁ Λεωκράτης καὶ δίκας ἐλάγγανε κτλ.*, quibus ex verbis colligimus de divortio ipso lites non exstitisse;⁴⁾ divortium iusto iure factum est, postea autem Leocrates actiones intendit, sine dubio de rebus, quae pertinent ad divortium, sed non quod Polyuctus iniuria matrimonium solvisset. Neque aliud demonstratur verbis *δίκας ἐλάγγανε Πολυεύκτω καὶ τούτῳ Σπονδίᾳ*, nam si Leocrates ira exarsisset de divortio iniuria facto, Polyuctum ad indices vocasset, non Polyuctum et Spudiam. De bonis lites intentae sunt: propterea arbitri, a quibus dissensiones componuntur, postulant, ut partes rationes exhibeant, et Leocrati adiudicant ea, quae in patris adoptivi domum intulerat;⁵⁾ fortasse etiam decem illae

¹⁾ passim, cf. Beauchet I 216 adn. 1; addas recueil I 133; Mitteis, Reichsr. u. Volksr. 66.

²⁾ Hruza p. 70; Beauchet I 130, 220, 388/89; idem apud Dar.-Sagl. s. v. *κύριος*.

³⁾ Thalheim, Progr. 1892 p. 8; Progr. Hirschberg 1894 p. 10; Thumser: Berl. Philol. Wochenschr. XIII (1893) p. 88; Dareste nouv. ét. d'histoire du droit p. 64; Balabanoff s. l. p. 19.

⁴⁾ Lipsius, Von der Bedeutung des griech. Rechts p. 26 adn. 5 et Hitzig, Zeitschr. der Savigny-Stiftung, romanist. Abt. vol. XVIII (1897) p. 155 ex his verbis etiam cogunt Leocratem cum Polyucto consensisse de matrimonio solvendo, sed nescio an hac interpretatione non satisfiat verbis *διαφορὰς γενομένης τῷ Πολ. πρὸς τὸν Λεωκρ. et ἀφελόμενος*: actiones nostra sententia Leocrates intendere non poterat, sed de consensu cogitari nequit. Aliter Kuebler: Sav.-Stiftung XV (1894) p. 396: „Das Verbum *ἀφαιρείσθαι* ist schwerlich wörtlich zu nehmen.“

⁵⁾ ad arbitros enim refero verba *τὸ τελευτῶν διελύθησαν*, nam ex § 28 fin. cognoscitur per arbitros has dissensiones esse compositas. Utrum arbiter publicus an privati in censum veniant diiudicari nequit, nam pluralis *ἐγνώσαν οἱ δαιτηταί* etiam ad arbitrum publicum pertinere potest, quod complures lites intentae sunt.

minae pro donis muliebribus solutae per arbitros addictae sunt Leocrati; cf. §§ 4, 28, 27. Minime autem nostra sententia tunc agbatur de Leocratis dote, quod suspicatus est Thalheim, ut hoc quoque modo demonstraret iniuria uxorem Leocrati esse ereptam; Progr. 1894, p. 10: „Jedenfalls erhob Leokrates gegen Spudias den Anspruch auf Herausgabe der von Polyenkto ihm entzogenen und jenem gegebenen Mitgift (§ 28). Dies konnte er nur, wenn er die Rechtmässigkeit der Trennung seiner Ehe bestritt;“ sim. Dareste pl. civ. 153. Neque vero veri est simile Leocratem dotem accepisse neque ex § 28 eum dotem repetivisse cognoscitur. Sed concedamus dotem esse datam et matrimonium a Polyencto iniuria solutum: ne sic quidem quod Thalheim inde colligit probamus: nam Leocrates dotem repetere non poterat, nisi actione instituta uxorem quoque reposcebat, quia dos cum muliere quasi coniuncta est.¹⁾ Uxorem autem eum non repetivisse apparet.

Ergo nescio, qui nobis contingat, ut demonstramus Polyenctum iniuria filiam marito detraxisse. Hac via viros doctos Hruza et Beauchet impugnare nequimus, sed aliae patere videntur:

Rem singularem hoc loco inveniri, quod agatur non solum de divortio facto, sed etiam de adoptione soluta monent Lipsius, Thalheim, Hitzig, Balabanoff ll. ss. Quomodo haec inter se cohaerent? In censum venit lex saepius iam commemorata: pater, cui sunt filiae, non filii, adoptare non potest nisi ita, ut unam ex filiabus filio adoptato in matrimonium det. Leocrates igitur Polyencti filiam duxerat, quod illius filius adoptivus erat. Videamus, quid inde colligendum sit: adoptio et matrimonium soluta sunt, utrum prius nescimus; faciamus adoptionem:

Si adoptio soluta est, per se matrimonium solvi necesse non est: lex non laeditur, si filia remanet apud maritum, qui iam frater adoptivus non est; sed facile fieri potuit, ut Athenienses adoptione soluta matrimonium quoque solvere assuescerent, ita ut omnia iura et officia, quae adoptione contracta subierant, illa soluta abolerent. AP.² 548.

Quis vero hoc loco adoptioni finem imposuit?

1. Adoptio in universum non solvitur, nisi inter se consentiunt et pater adoptivus et filius adoptatus. Itaque ei, qui censent Polyencto convenisse cum Leocrate de adoptione tollenda apte locum ita interpretari videntur: de adoptione solvenda inter illos convenit,

¹⁾ dotem etiam is reddere debet, qui invitus a coniuge deseritur, quin etiam: ne apud eum quidem dotem remanere veri simile est, qui uxoris culpa commotus matrimonium solvit. v. d. Es p. 61; Thalheim R.-A.⁴ 76 adn. 9; Caillemer apud Dar.-Sagl. s. v. dos p. 393.

ergo matrimonium solutum est.¹⁾ Sed nos dubitamus de consensu, cf. p. 47 adn. 4.

2. Adoptio solvi potest a patre solo, si filius dignus est ἀποκηρύξει. Sunt, qui patrem adoptivum ius abdicandi habuisse omnino negent;²⁾ quamquam his non adsentimur, tamen nobis persuasimus patrem ἀποκηρύττειν non potuisse, nisi extarent graves causae, de quibus hoc loco cogitandum non est; qua in re obloquimur Thalheimio Progr. 1894 p. 10: „es stand dem Polyuktos unzweifelhaft zu, die Adoption zu widerrufen (ἀποκηρύττειν).“

3. Adoptio solvi potest ab adoptato solo, si filium legitimum relinquit in domo patris adoptivi, quae res hic in censum non venit, nam Leocratem solum adoptionem non sustulisse ex verbis patet; imprimis autem hic filius heres esset Polyucti.

Nihil igitur proficimus, si facimus adoptionem priorem esse solutam; iam redeamus ad alteram sententiam: matrimonium prius solutum est; quo facto adoptio quoque tollenda est, nam fieri non potest, ut filius adoptatus sororem non habeat uxorem.³⁾

Hinc mihi proficiscendum videtur atque ita progrediendum, ut quantum fieri potest satisfaciamus verbo ἀφαιρῆσθαι neque tamen tantam patri tribuamus potestatem, quantam Hruza quique eum sequuntur. Atque optime nostra sententia impetrantur optata, si accedimus ad Darestii sententiam pl. civ. I, 165 adn. 3: „la femme de Léocrate, cédant à l'influence de son père, demanda le divorce.“ cf. Schmidt, Ethik der alten Griechen II, 197: „Polyuktus veranlasst die Auflösung der Ehe.“

Matrimonium igitur non a patre finitur, sed ab uxore ipsa a patre commota, ut divortium instituat. Quae cum ita sint, non miramur, quod legimus ἀγελόμενος, praesertim cum magnam veri habeat speciem non uxorem ipsam divortii libellum ad archontem rettulisse, sed eum, qui mulieris κύριος fuerat, priusquam collocata erat. Lipsius AP.² 512 adn. 89, 748; Beauchet I, 386.

Aliud autem est hoc pro vero habere, aliud putare penes patrem esse filiam in matrimonium datam — etiam invitam — omni tempore marito eripere. Quae sunt matrimonia, quae semper a patre solvi possint! Sed dicat quispiam: eundem usum alii populi

¹⁾ AP.² 548; Thalheim R.-A.⁴ 81 adn. 1; idem apud Pauly-Wiss. s. v. adoptio.

²⁾ Schulthess in Burs. Jahresber. vol. LXXXI (1894) p. 174; res indicare difficile est, quod exempla Attica desunt, ex aliis autem gentibus Graecis hae ἀποκηρύξεν filii adoptati locum habere vetare, illae, ut fiat, permittere videntur. cf. Mitteis, Reichsr. und Volksrecht p. 215.

³⁾ eae igitur adoptiones, quarum causa matrimonium contractum est, ab eo solo tolli posse videntur, cui matrimonium solvere licet.

habent. Quod negare non possumus, sed ubicumque haec potestas patri datur, ibi impedimentis quibusdam minuitur: pater Romanus eam filiam tantum genero demere potest, quam neque in mariti manum dedit neque emancipavit¹⁾, pater Aegyptius eam tantum, quae neque ex γάμῳ ἐγγράφῳ nata est, neque ipsa γάμον ἐγγράφον iniiit.²⁾

Qualia impedimenta cum Graeci non noverint, veri minime est simile eos patri permisisse, ut filiae matrimonio finem imponeret.

Neque quod per se veri speciem non habet confirmatur eis exemplis, quibus illi nituntur: Hruza p. 70 adn. 48 = Beauchet I 388 adn. 5. Ea autem missa faciamus, quae hausta sunt e fabulis antiquis, nam de iure Graeco nihil docent, qui demonstrant heroes aut tyrannos filias generis eripuisse³⁾; huc pertinent Eurip. Androm. v. 967 et schol. ad Od. IV, 4; auct. ad Her. II 24 p. 241/42 Marx (versus ex Eurip. Cresphonte translati a discipulo rhetoris cuiusdam Graeci, non Enniani; Marx Prol. p. 132, Skutsch apud Pauly-Wiss. s. v. Ennius p. 2593).

Maiores momenti est Pausanias IV (Μεσσηνιακά) 9, 5 Hitzig-Bluemner II, 1 p. 26: „Ἀνὴρ τῶν Μεσσηνίων, τὸ δὲ ὄνομα οὐ λέγουσιν, ἐρῶν ἐτυχε τοῦ Ἀριστοδήμου τῆς θυγατρὸς, τότε δὲ ἤδη ἐμελλε καὶ γυναικα ἀξέσθαι. οὗτος κατ' ἀρχὰς μὲν ἐς ἀμφισβήτησιν Ἀριστοδήμῳ προῆλθεν, ἐκείνον μὲν ἐγγυήσαντά οἱ μηκέτι εἶναι κύριον τῆς παιδός, αὐτὸς δὲ ἐγγυησάμενος κυριώτερος ἐκείνου γίνεσθαι. δεύτερα δὲ ὡς τοῦτο οὐχ ἑώρα οἱ κατορθούμενον κτλ. Sed primum quidem Messenius ille est sponsus, non maritus filiae Aristodemi; deinde si facimus apud Messenios ἐγγύησιν — quam vocem Pausanias de rebus Atheniensibus transtulisse videtur ad Messenias — eandem vim habuisse quam Hruza tribuit ἐγγυήσῃ Atheniensium (Ehebegründung)⁴⁾: ex hoc

¹⁾ cf. v. Ihering, Geist des röm. Rechts II⁵ (1894) p. 191 sqq.; Mommsen, jurist. Schr. II (1905) p. 149.

²⁾ Oxyrh. Pap. II p. 159 col. VII lin. 12 sqq.: οὐδεὶς γὰρ νόμος ἀκούσας γυναικας ἀπ' ἀνδρῶν ἀποσπᾶν ἐφείησιν, εἰ δὲ καὶ ἔστιν τις, ἀλλ' οὐ πρὸς τὰς ἐξ ἐγγράφων γάμων γεγενημένας καὶ ἐγγράφως γεγ[αμ]ημένας. Mommsen l. s. recte monuit agi de iure Aegyptio; nescio igitur, quomodo intellegenda sint eius verba p. 149: „In Ägypten befremdet die . . . Ordnung, . . . weil im griechischen Recht schwerlich genügende Substitute bestanden haben.“ — Concedendum quidem est: sunt qui suspicentur initio patri Aegyptio licuisse omne matrimonium solvere, magistratus autem Romanos secundum suos mores hanc patris potestatem ita diminuisse, ut cognoscitur e verbis papyri laudatis. Mitteis, Archiv für Papyrusforschung I (1901) p. 343; Nietzold, Die Ehe in Ägypten 1903 p. 11.

³⁾ singula exempla aliis quoque argumentis refutari possent, si operae pretium esset.

⁴⁾ nos plerorumque opinionem secuti censemus ἐγγύησιν esse „Ehe-vorbereitung“. cf. praecipue Thalheim, Progr. 1894 p. 6 sqq.; p. 18.

loco non apparet sponsum illum iniuria contendere se *κύριον* esse mulieris sibi desponsae, quamquam nihil proficit.

Neque neglegendam esse puto Dion. Chrys. or. XI, 46 sqq. v. Arnim I p. 127, unde Hruza argumentum sibi petit; agitur quidem hoc quoque loco de rebus fabulosis, sed Dio cum operam det, ut demonstret Helenam ab Alexandro non raptam, sed a Tyndareo patre ei in matrimonium datam esse, non ad consuetudinem illorum tyrannorum spectat, sed ad stricti iuris praecepta: itaque eius argumenta ad obrussam exigenda sunt. Agamemnonem legimus in § 53 suscensuisse, cum in eo esset, ut Tyndareus Helenam daret Alexandro, sed non habuisse, quomodo eum impediret, cum Tyndareus *κύριος* esset filiae: *τὸν δὲ ἀχθεσθαι μὲν, οὐκ ἔχειν δὲ ὅπως καλῶς τὸν Τυνδάρεων· κύριον γὰρ εἶναι τῆς αὐτοῦ θυγατρὸς* (loquentem facit Dio sacerdotem quendam Aegyptium). Tyndareus igitur Helenae *κύριος* est; num hac re probatur sententia Ferdinandi Hruza? Minime, nam Menelaus Dioneus non est maritus Helenae, sed una cum aliis nobilibus eam in matrimonium petit; omnibus autem Alexander praepositur a Tyndareo, qui sine dubio est *κύριος* filiae non collocatae. Nostra magnopere interest Dionem facere non potuisse, quin fabulam commutaret, ut demonstraret *„λαβεῖν Ἀλέξανδρον τὴν Ἑλένην ἐκ τοῦ δικαίου.“*

Alii autem veterum scriptores, qui ante Aristotelis tempora fuerunt, infirmioribus argumentis quam Dio Alexandrum et Helenam defendisse videntur: posuerunt enim Helenam nupsisse Menelao neque tamen iniuria Alexandrum secutam esse. Quorum de argumentis quid iudicaverit Aristoteles, patet ex eius art. rhet. II 24, p. 1401 b, 35: *ἄλλος* (sc. *τόπος τῶν φαινόμενων ἐνθυσμημάτων*) *παρὰ τὴν ἑλλειψιν τοῦ πότε καὶ πῶς, οἷον ὅτι δικαίως Ἀλέξανδρος ἔλαβε τὴν Ἑλένην· αἴρεσις γὰρ αὐτῇ ἐδόθη παρὰ τοῦ πατρὸς. οὐ γὰρ αἰεὶ ἴσως, ἀλλὰ τὸ πρῶτον· καὶ γὰρ ὁ πατὴρ μέχρι τούτου κύριος.*¹⁾ Existit igitur *ἐνθυσμημα φαινόμενον* quod dicunt²⁾, nam auctor celavit aut quidem omisit *τὸ πότε*: pater *κύριος* Helenae tum fuit, cum illa Menelai uxor nondum erat, non, cum Menelaus eam duxerat.

Quo ex loco quid Aristoteles de filiae collocatae *κυρίῳ* cogitaverit plane apparet.

Quae cum ita sint, statuendum est penes patrem non esse matrimonium filiae solvere neque recte Hruza e contrario collegisse

¹⁾ Sauppe in orat. Attic. II p. 223 haec verba Polycratis esse suspicatur. — Primus, nisi fallor, hunc locum adtulit Kuebler, Sav.-Stiftung XV (1894) p. 397.

²⁾ cf. e. g. Heinrich Maier, Die Syllogistik d. Aristoteles II, 1 (1900) p. 493.

patrem *κύριον* esse filiae in matrimonium datae, non maritum: nostrae sententiae repugnant neque Demosth. XLI, 5, cuius loci causa haec omnia in quaestionem vocavimus, neque ei loci, quibus Hruza suam sententiam confirmare conatus est; nobis autem testimonio sunt cum Dio, quippe qui fabulam illam non sine consilio commutaverit, tum Aristoteles.

Atque nostrum fuit in hac parte commentationis reicere, quod Hruza contendit de patris potestate divortium faciendi; quod si nobis contigit, satis sit, nam cetera argumenta, quae adfert, ut demonstret patrem esse *κύριον* filiae nuptae, hoc loco accuratius tractare non licet; neque ita opus est, quia omnia labefactantur verbis Aristotelicis. Sed hoc vel illud addamus:

1. Hruza ipse concedit maritum saepius coniugis *κύριον* esse, sed haec statuit p. 71: „Nicht die Ehe, sondern besondere Gründe machen den Ehemann zum *κύριος* der Frau. Etwa weil der Adoptivsohn die Tochter des Adoptierenden ehelicht und als ihr *ἀδελφός* ihr *κύριος* wird, oder weil er sie nach Epiklerenrecht zur Frau hat, oder weil ihm der Archon¹⁾ die Gewalt gegeben hat.“ Sed, cum hoc modo res explicet, difficile est firmis exemplis eum devincere, nam rara sunt, quae demonstrent maritum esse *κύριον* quod maritus est, non aliis de causis; atque eo plus valet locus ille Aristotelicus. Quomodo autem hae res quadrant ad nostram causam? Leocrates est frater adoptivus et maritus; nonne igitur Hruza ipse sibi obloquitur, cum neget Leocratem esse uxoris *κύριον*? Hoc contra Hruza monuerunt Kübler Sav. Stiftung XV p. 396 et Hitzig ibid. XVIII. p. 155. Sed nullo iure, nam nostra sententia ex eius verbis p. 56 dilucide cognoscitur, quid censuerit: frater adoptivus sororum — itaque etiam uxoris — *κύριος* fit post patris mortem aequae ac frater naturalis. Polyuctus autem inter vivos erat, quamdiu Leocratem habebat filium adoptatum; Hruza igitur de sua sententia non deflexit.

2. Hruza p. 71 adn. 52 ita exposuit: „Die Frage geht dahin, ob sich Belege für oder wider die Meinung finden lassen, dass der Ehemann wenigstens in Vermögensangelegenheiten der Frau ihr *κύριος* wird. Ein Argument dagegen liefert die Stelle bei Dem. adv. Spud. XLI § 12“ (velim legas § 9). Neque vero ex hoc loco intelligitur Polyuctum coniugis *κύριον* non fuisse: illa

¹⁾ ab archonte interdum *κύριον* mulieri constitui suspicatus est Hruza p. 66 (quem secutus est Beauchet II 346) perperam interpretatus finem legis laudatae a [Dem.] XLVI 18: . . . *ὅτι ἂν ἐπιτρέψη, τοῦτον κύριον εἶναι*. cf. Lipsius, Bed. des griech. Rechts p. 27; Thalheim, Progr. 1894 p. 6.

enim pecunias mutuas dedit post Polyucti mortem (cf. p. 31), quo tempore eum uxoris *κύριον* non fuisse verum est. Sed nihil inde cognoscitur de Polyucto vivo.

3. Maritum apud iudices *uxoris personam* non sustinuisse, nisi aliis de causis eius *κύριος* esset, contendit Hruza l. s. = Beauchet I 220. Sed si revera ea argumenta, quae impugnanda ei sunt, non multum valere putas (praecipue schol. ad Aristoph. Equ. v. 969), velim conferas, quae Plato de hac re constituit in leg. XI p. 937a: *γυναικὶ δ' ἐξέστω ἐλευθέρῳ μαρτυρεῖν καὶ συνηγορεῖν, εἰάν τις τετταράκοντα ἔτη ἢ γεγονυῖα, καὶ δίκην λαγχάνειν, εἰάν τις ἀνάνδρος ἢ ζῶντος δὲ ἀνδρός ἐξέστω μαρτυρῆσαι μόνον*. Ingenuae igitur quadraginta annos natae liceat ipsi litem intendere, si marito caret. Plato fieri posse statuit, ut mulier ipsa causam agat, si pater frater alii qui secundum leges Atticas *κύριοι* esse possunt, inter vivos sunt: si maritum habet mulier, ab hoc causa agenda est. Quod cum inveniamus apud Platonem, cuius leges feminis multo maiora iura tribuunt, quam Atticae, concludamus maritum uxoris causas egisse, quod maritus est, non quod nescio quo modo *κύριον* potestas ad eum venerit.

4. Non maritum, sed alium virum mulieris *κύριον* esse duo docent tituli Amorgini, Dittenb. Syll.² n. 828 et 831; unde nequitiam quisquam colligat hac in insula res aliter se habuisse atque Athenis, nam quomodo cippi explicandi sint, recte iam exponit Lewy De civili conditione mul. Graec. p. 38. cf. Thalheim R.-A.⁴ 12 adn. 2; recueil I 135; Schulthess Wochenschr. f. klass. Philol. IX (1892) p. 794; *κύριος* enim mulieris is est, qui dotem constituit, quod in negotiis contrahendis agitur de bonis, quae maritus illi pro dote data oppigneravit. Neque haec abhorrent ab usu Atheniensium, nam in Attica quoque interdum alium suscipere debere *κύριον* munus ac maritum consentaneum est; nihil autem veri est similis, quam eum fieri *κύριον*, qui mulieris tutor esset, si in matrimonium data non esset. E. g. maritus *κύριον* munere fungi non potest, si mulier cum eo ipso negotia inire aut ei litem intendere studet; neque hoc loco negligas, quod supra p. 49 exposuimus de divortio faciendo: mulieris pater (aut qui ex ordine *κύριον* lege praescripto eum sequitur) ad archontem divortii libellum refert, si uxor a marito discedere vult. cf. AP² p. 748.

Quae cum ita sint, non comprobamus sententiam viri docti Kuebler, qui l. s. p. 396 haec: „Der Beweis dieser Sätze (sc. Athenis maritum in universum munere *κύριον* non fungi) ist Hruza nicht gelungen. Ausserhalb Athens haben sie allerdings bisweilen Geltung gehabt, z. B. in Amorgos.“

5. Mulieres Graeco-Aegyptiae marito utuntur *κυρίω*,¹⁾ atque Ptolemaeus Philopator Graecorum mores secutus mulieres Aegyptias quoque in maritorum tutela esse iubet. cf. Mitteis Reichsr. und Volksr. p. 55.

www.libtool.com.cn

II. § 4. . . . τὸ τελευταῖον διελύθησαν, ἐφ' ᾧτε κομισάμενον τὸν Λεωκράτην ὑπερ ἣν εἰς τὴν οὐσίαν εἰσενηνεγμένος κτλ.

Leocrates igitur matrimonio et adoptione solutis transactione recipit, quae in rem familiarem intulerat. Quibus de rebus qui scripserunt ex hoc loco unumquemque filium adoptatum, quae possideret, in patris adoptivi res inferre debuisse colligunt: van den Es p. 91; Caillemmer, Le droit de tester in Annuaire de l'assoc. pour l'enc. des ét. Gr. IV p. 25; AP.² 546 adn. 178; Gide et Caillemmer apud Dar.-Sagl. s. v. adoptio p. 76; Thalheim R.-A.⁴ 80 adn. 3; Beauchet II, 47. Ne vero quis dicat non licere ad omnium adoptatorum bona transferre quod scriptum legimus de bonis Leocratis adoptati, argumentis suam sententiam probare student. Velut Caillemmer droit de tester l. s. haec: „et cela n'a rien qui doive nous surprendre. Il ne faut pas oublier que, d'après le droit romain, l'adrogé, lui aussi, perdait la propriété de ses biens. 'Ecce enim, cum pater familias se in adoptionem dedit, omnes eius res incorporales et corporales, quaeque ei debitae sunt, patri adoptivo adquiruntur.' Gaii inst. III, 83.“ cf. e. g. Leonhard apud Pauly-Wiss. s. v. adrogatio. Sed hoc loco nihil demonstratur, nam patriam potestatem Romanorum toto coelo differre a Graeca constat; apud Graecos filius inter vivos adoptatus plane eisdem iuribus et officiis utitur ac filius naturalis, itaque et bonorum dominus esse et bona ipse sibi adquirere potest.

Maiorem veri speciem habere videtur, quod conclusit van den Es p. 91: Aeschines enim c. Ctes. § 21 tradit legi impediri, quominus *ὀπτεύθῃνος* adoptetur: *πάλιν ὀπτεύθῃνον οὐκ ἐξ ἐκποίητον γενέσθαι*. Cuius legis quae causa sit van den Es ex oratione adv. Spudiam cogi posse censet: „adoptatus res suas in alienam domum transferebat; si autem *ὀπτεύθῃνος* quis est et ab altero adoptatus facto e. g. peculatu damnatur atque interea moritur, a quo repetenda est mulcta, cum ipsius bona patris adoptantis bonis addita sint? Propterea autem lege cavebatur ne liceret *ὀπτεύθῃνον* adoptare, ne scilicet civitas damno afficeretur.“ Sed ne hoc quidem probem, nam legis interpretationem falsam esse puto; argumenta

¹⁾ Egon Weiß: Beiträge zum gräko-ägyptischen Vormundschaftsrecht in Archiv für Papyrusforschung IV (1907) p. 84.

satis sunt subtilia: van den Es cum scriberet „atque interea moritur“, ipse intellexisse videtur, veri non simile esse rem publicam multam repetere non posse eo vivo, qui adoptatus bona in alienam domum transtulit. Quae verba plane neglexerunt ei, qui ad viri docti van den Es sententiam accesserunt (Beauchet II, 47), sed nescio an iis res ipsa fiat minus probabilis. Neque enim dubium videri potest, quin aliquis magistratum suscipere potuerit et rationem reddere debuerit, quamquam ipse bonorum dominus nondum erat, quod pater inter vivos erat; cf. AP.² 579; qui si condemnatur, de patris bonis multa solvenda est. Quo etiam magisolvere deberet pater adoptivus, qui *ὑπεύθυνον* adoptasset eiusque bona accepisset. Quomodo res publica ita damnum accipiat, non intellego. Hac igitur de causa legem latam esse negamus; neque tamen, si hoc contendimus, sensu ea caret: revera enim res publica damno afficeretur, si patri cuidam diviti liceret filium patre vivo nihil fere possidentem *ἐκποιεῖν* in pauperem domum, ut suis rebus parceret. (cf. Beauchet l. s.) Atque hunc sensum legem praeberede inde quoque cognoscas, quod Aeschine teste haec sunt legis verba: *οὐδ' ἐκποιήτων γενέσθαι*. Vox *ἐκποιεῖσθαι* usurpata est, non *ἐισποιεῖσθαι*, quod lege non tam impeditur, ne filius ab altero adoptetur, quam ne ex sua domo excedat. Damnum igitur rei publicae infertur, non si quis *ὑπεύθυνος* in alienam domum venit, sed si ex sua domo excedit.¹⁾

Quae si recte exposuimus, locus Demosthenicus, de quo agitur, et lex data de *ὑπευθύνων* adoptione inter se non cohaerent, neque habemus, cur ad bona omnium adoptatorum referamus, quod traditum est de Leocratis bonis. Nostra sententia Leocrates sua sponte bona sua (utrum omnia, an nonnulla diiudicari nequit) in Polyeucti res intulit et ex eius suisque bonis una cum patre fructus percepit; verum, quae sua sponte intulit, sine dubio recipit, cum adoptio soluta est: itaque arbitri, cum Leocrati bona a Polyeucto retenta addicerent, arbitrium non solum benevolentia commoti sed etiam secundum leges dederunt.

Aliter ei iudicant, qui censent Leocratem bona in Polyeucti res inferre debuisse: inter eos quaestio exoritur, utrum Leocrates

¹⁾ tertiam interpretationem proposuit Ciccottii: La Famiglia nel diritto attico p. 22 (laudat. apud Beauch. II, 47): legem esse latam patris adoptivi causa; ne fieri posset, ut *ὑπεύθυνος* ab altero adoptatus multam solveret de illius bonis. Sed adoptantis ipsius est cavere ne decipiatur; praeterea Aeschines disertis verbis indicat leges a se laudatas rei publicae causa datas esse: *ἐνὶ δὲ λόγῳ ἐνεχυράζει τὰς οὐσίας ὁ νομοθέτης τὰς τῶν ὑπευθύνων, ἕως ἂν λόγον ἀποδώσι τῇ πόλει*.

bona stricto iure repetere potuerit,¹⁾ an benevolentia arbitrorum receperit.²⁾ Nos, si hanc sententiam omnino probarem, cum illis faceremus, nam inde quod Leocrates bona transactione recipit, nemo colligat eum res suas recepturum non fuisse, si iudices stricto iure sententiam tulissent.

Quo autem terrarum ei perveniunt, qui — ut Beauchet — contendunt Leocratem bona in Polyucti rem familiarem inferre debuisse (II, 47), penes Polyuctum fuisse Leocrate invito matrimonium solvere (I, 221), i. e. adoptionem tollere, Polyuctum bona Leocratis retinere potuisse (II, 68)? Haec si omnia vera essent, fieri posset, ut Polyuctus honestissime Leocratem defraudaret bonis, si omnia iura, quae illi ei attribuunt, exsequeretur.

¹⁾ Bunsen p. 59; Schneider de iure heredit. Athen. p. 29; Boissonade histoire de la réserve héréd. p. 58; Hruza p. 70 adn. 48: „er bekam also nur, was ihm ohnehin gebührte.“

²⁾ Caillemet droit de tester p. 25: „si l'adopté reprend les biens, qu'il avait apportés, ce n'est pas en se fondant sur la loi; c'est en vertu d'une transaction.“ cf. Thalheim R.-A.⁴ p. 80 adn. 3.

Tabula argumenti.

	pag.
Prooemium	1
orationis argumentum	2
I. quae facta sint, antequam causa ad iudices pervenit	3
II. de actoris criminibus apud iudices prolatis	16
A. crimen primum	16
B. crimen secundum	31
C. crimen tertium	39
de ratione inita in §§ 27, 28	40
quae actio intenta sit	44
III. de duobus orationis locis difficilioribus	46
1. locus prior	46
2. locus alter	54

www.libtool.com.cn

ss
cal
at
lec
m
-rt
hip
the
rs
in
gs
el
to
iti
er
x,
is,
ed
m
s
re
be:

Vita.

Rudolfus Burgkhardt natus sum a. d. XVII. Kal. Maias anni 1881 Lipsiae patre Johanne, matre Augusta e gente Bahmann, quam praematura morte abreptam esse doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus scholam adii Nicolaitanam Lipsiensem, quam primo huius saeculi anno testimonium maturitatis adeptus reliqui. Postquam unius anni stipendia merui in patriae legione 106, universitatis Lipsiensis civibus adscriptus philologicis studiis atque historicis me dedidi. Scholis autem interfui vel intersum, quas habuerunt viri doctissimi: Birch-Hirschfeld, Brugmann, Buchholz, Max Heinze, Richard Heinze, Hofmann, Immisch, Jungmann, Kaerst, Koetzsckhe, Lamprecht, Lipsius, Martini, Marx, Ratzel †, Seeliger, Volkelt, Wachsmuth †, Wilcken, Zarncke.

Sodalis fui proseminarii philologici Immischio moderante per duo semestria, per idem tempus proseminarii historici auspiciis Rudolphi Koetzsckhe. In seminarium historicum aditum mihi patefecerunt Wachsmuth per tria, Wilcken per unum, Lamprecht per sex, Seeliger per septem semestria. Interfui quoque exercitationibus, quas instituerunt Marx de rebus metricis, Jungmann de arte paedagogica, et benignitate Lipsii, Marxii, Wachsmuthii receptus sum in seminarium philologicum, cuius sodalis ordinarius fui per his sex menses.

Quibus omnibus praeceptoribus maximas habeo gratias semperque habebo, praecipue Lipsio, qui haec ipsa studia magna cum liberalitate foverit.

www.libtool.com.cn

Photomount
Pamphlet
Binder

Gaylord Bros. Inc.
Makers
Stockton, Calif.
PAT. JAN. 21, 1908

www.libtool.com.cn

745080

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

www.libtool.com.cn